9

EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO

PRINCIPI

D. D. HENRICO

ENRIQUEZ

S. EUSEBII CARDINALI PRESBYTERO BENEFICENTISSIMO:
NECNON A LATERE LEGATO RAVENNATENSI,
AC TOTIUS ROMANDIOLÆ AMPLISSIMO

D. SERAPHINUS TRASMONDI

MONACHUS CŒLESTINUS

In peculiaris obſequii argumentum

DEMONSTRATIONEM RELIGIONIS NATURALIS,
CHRISTIANÆ, ET CATHOLICÆ

Offert, nuncupat, conſecrat.

Diſputabuntur publicè in Monaſterio S. Euſebii de Urbe, objectis occurrente eodem, qui ſupra, ſub aſſiſtentia A. R. P. D. PETRI CAPUZZIMADI *ibidem Sacræ Theologiæ Lectoris.*

Facta cuilibet poſt tertium argumentandi facultate.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITT. EMANUELE

ROMÆ MDCCLV.

Ex Typographia Joannis Zempel prope Montem Jordanum.
Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

Eminentiſſime ac Reverendiſſime

PRINCEPS.

QVandiu tam amænam Orbis ſaciem quis intuetur, & ſeipſum conſiderat, jandiu certe infinitam Creatoris bonitatem, ac beneficentiam in his venerari debet. Vnde ſiquidem tot ſe res offerunt ad hominis utilitatem, ac felicitatem comparatæ? Vnde in homine eximia illa, ac vividiſſima intelligentia, quæ præterita recolit, futura anticipat, ad ſummum uſque Cœlorum mira celeritate tranſvolat, indeque ad ima uſque tartara, nullo labore, nulla mora, ſe transfert? Vnde illa ingenii ſagacitas, quæ res cœleſtes, res terrenas, res divinas, res humanas, res philoſophicas, res mathematicas, res politicas, & quas non? Tanta facilitate adſequitur, & calculis ſuis adſtringit? Vnde excelſa illa, ac vere divina Mentis temperies,

Digitized by Google

quæ a ſenſibus ſeipſam avellit, quæ ſupra mortalia ſeipſam erigit, quæ paucarum idearum ope, paucis juſti & æqui principiis, bonorum, & malorum omnium quodammodo domitrix evadit? Unde, inquam, hæc aliaque innumera niſi ex ſumma Dei bonitate, & ad benefaciendum propenſione proficiſcuntur? Si hæc excellens hominis Mens a Supremo Orbis Moderatore atque Opifice talis naturæ fuiſſet efficta, ut ſcientiarum, artiumque omnium penitus incapax eſſet, quid miſerius, quid triſtius, quid homine deformius? Nullum haberet victum, niſi herbas ac radices, & fruges ſponte natas; nullum veſtitum, niſi muſcum utcunque corpori admotum; nullam tutelam adverſus feras, aut injurias aeris, niſi fugam, & antra; nullum vitæ ſolatium, nullam oblectationem, nullam dignitatem, nullum commodum. Nec dubium, quin hæc Theologorum argumenta ſolide oſtendant Dei bonitatem, ejuſque beneficam Providentiam, ſed eximiæ virtutes tuæ, EMINENTISSIME AC REVERENDISSIME PRINCEPS, *& præclara promerita tua illud, quod ex hominis contemplatione depromitur, ut Civitas Romana conſtituit, magis magiſque confirmant. Nec mirum, quod florentiſſima hæc Civitas ita decrevit. Nam de tuis in omni genere præclaris virtutibus ea jampridem audivit, quæ te ampliſſimo quolibet honore digniſſimum reddere poterunt. Prudentiam, quam nihil fallere; juſtitiam, quam nihil inflectere; fidem & conſtantiam erga Amicos, quam nulla temporum aſperitas imminuere, aut labefactare poterit: Et poſtquam hæc aliaque innumera de tuis virtutibus audivit, novit eximiam vitæ tuæ integritatem; novit ani-*

mum

mum nihil niſi de Deo, & de utilitate publica cogitantem; novit vetuſtum S. Euſebii Templum a te ita refectum, atque inſtauratum, ut quæ prius videbantur valde deformia, nunc adpareant admodum venuſta; novit ingentia beneficia, quæ tu in Eccleſiaſticos alioſque viros contuliſti; novit denique, ut alia propemodum infinita omittam, quotidianas eleemoſinas, quas tu, in ſublevandis pauperibus, clam erogaſti, clam inquam, cum ab omni inani gloria mirifice abhorreas. At ubi Romana Civitas hæc aliaque obſervavit, modo hic, modo ille Cives, omnibus idem ſentientibus, ita jure optimo argumentari cœpit. Unde oritur, quod nos, Quirites, Heroem tam eximium, qui tot tantiſque beneficiis nos cumulat, habeamus? Unde oritur, quod clementiſſimus Deus nobis conſervat tam pium, tamque beneficum virum, qui etiam in afflictis rebus nos ſublevat atque tuetur? Unde oritur, quod ſit in Urbe Roma vir tam ſapiens, tamque prudens, qui nobis dat conſilia optima? Unde hæc aliaque innumera, niſi ex infinita Supremi Numinis bonitate, ejuſque benefica Providentia? At inter virtutes tuas, EMINENTISSIME AC REVERENDISSIME PRINCEPS, *cum emineat, ut omnes norunt, benignitas ac beneficentia, non dubito, quin Theoremata mea, quæ ingenti animi devotione tibi conſecro, æquo animo vultuque benigno excipias. Deum interim Optimum Maximum precor, & obteſtor, ut te Chriſtiani Orbis, & noſtræ Familiæ bono diu incolumem ſervet.*

IM-

Digitized by Google

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſsimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

F. M. de Rubeis Patr. Conſtantinop. Viceſgerens.

IMPRIMATUR.

Fr. Vincentius Elena Ordinis Prædicator. Rm̃i P. Magiſtri Sac. Pal. Apoſt. Socius.

Digitized by Google

De Fundamentis noſtræ Religionis.

I.

SApientiſſimus ille rerum omnium Opifex , qui ad utilitatem noſtram tot tantaſque res in Orbe diſpoſuit , atque ordinavit , ingens nobis acerrimumque indidit felicitatis deſiderium . Quod , etſi nunquam in hac vita expleri poſſit , irritum tamen , ac vanum nulla ratione dici poteſt . Quis enim concipiat , tot bona in nos contuliſſe Deum , quemadmodum ex toto naturæ conſpectu liquet , & ſimul tot miſeriis , tot doloribus , tot periculis , tot animi , corporiſque morbis , nos obnoxios effeciſſe , ſummo cum deſiderio ab illis evadendi , & nulla tamen cum ſpe , niſi vaniſſima , & inaniſſima liberationis illius obtinendæ ? Perinde ſane foret , ac ſi Deus urgentiſſimam famem nullo conceſſo cibo , vel ardentiſſimam ſitim , nullo conceſſo potu nobis indidiſſet . Illa itaque felicitas , quam nos tantoperè optamus , eſt expectanda , quæ nonniſi germano Dei cultu , ad quem unicè ducit ejuſdem veri Numinis notitia , obtinebitur . Hinc genuina ac germana Theologia , quæ ad veri Dei notitiam homines perducit , in ſola ſpeculatione terminari non de-

bet ;

bet; licet enim multa tradat de Deo, quæ in ſpeculatione conſiſtunt, videlicet, quæ Divinam naturam, & attributa, ejuſque decreta, & opera ſpectant, non tamen in nuda illorum ſcientia ſemper acquieſcit; ſed ea ad cultum Dei tanquam unicum, ac ultimum finem dirigit.

I I.

Ea itaque diſciplina, quæ de Deo ejuſque cultu agit, merito Theologia dicitur. Cum vero duplici via ſeſe Deus hominibus notum faciat, primum quidem naturali lumine, mortalibus omnibus communi, deinde revelatione a ſe ipſo facta, vel virorum Divinitus afflatorum documentis. Hinc duplex Theologia exurgit, naturalis, & revelata. Verum naturalis Theologia, ſi cum revelata conferatur, etſi longè diuque ſit manca, & imperfecta, minime tamen contemni debet. Etenim, quo fine Deus tot luculenta ſui indicia ob oculos nobis poſuit, ſimulque mentem nobis indidit iis agnoſcendis idoneam, niſi, ut lumine illo revera utamur, ipſumque in operibus cognoſcere ac revereri diſcamus? Naturalis Theologia quanti ſit facienda, vel exinde colligi poteſt, quod adverſus Atheos clariſſime demonſtrat Dei exiſtentiam, ejuſque aliquem cultum; Etenim ſolo naturalis rationis ductu in eam devenimus notitiam, quod maximum ſit abſurdum, aſſerere omnia in tempore, ac proinde contingenter extitiſſe, nec ullum eſſe Ens æternum. Proceſſus ſiquidem in infinitum, etiamſi non repugnaret, requireret quoque independentem ſui cauſam, imo, & potentiſſimam; quemadmodum catena quo numeroſioribus conſtaret annulis propter majorem gravitatem, eo majori indigeret ſuſtentaculo, etſi illi infiniti eſſent annuli, tandem ultimum, & primum infinitæ vis requiriretur fulcrum.

I I I.

Hinc vulgo Athei æternam poſuere materiam, hæc quidem eſt Atheorum veluti communis ſententia. Sed quid abſurdius, quid remotius ab omni ratione? Ens æter-

Digitized by Google

ternum exiſtit neceſſitate naturæ; non poteſt non exiſtere, ejus negatio contradictio eſt; quia quod eſt eſſentiale alicui rei, hæc ſine illo nec etiam per mentem concipi poteſt. Atqui nihil tale, nec de materia, nec de aliis ullis Entibus imperfectis dici poteſt. Nihil in eorum natura cernimus, quod exiſtendi neceſſitatem inducat. Æque potuiſſent non exiſtere, atque exiſtere. Eorum negatio nullam involvit contradictionem. Et concipere valemus nedum partem materiæ, ſed etiam totam materiam non exiſtere; concipiendo nempe loco materiæ ipſum ſpatium vacuum. Præterea Ens æternum præſtantiſſimo, ac perfectiſſimo modo exiſtit. Siquidem ſemper exiſtit, exiſtit neceſſario, adeoque in ſe ipſo habet exiſtentiæ ſuæ principium, ac fundamentum: neque ſolum exiſtentiæ ſuæ, ſed & exiſtentiæ Entium omnium non æternorum, quæ ab eo producta ſunt, ergo habet realitatem, infinitatem, ut cum metaphyſicis loquamur, ergo quidquid eſt perfectionis in omnibus Entibus, in eo eſſe, & ab eo procedere neceſſe eſt. Quis vero id aſſerat de materia bruta, vel aliis Entibus imperfectis, quæcumqne tandem illa ſint?

IV.

Quis itaque cachinnis non excipiet Epicureos? Iſti Mundum hunc, & quidquid vel adſpectabile, vel tractabile in eo continetur, ex temeraria quadam minutiſſimorum corporum concurſione coaluiſſe, ſomniarunt. Sed quis ſanæ mentis in animum inducet ſuum, tantam pulchritudinem, tantum ordinem, tantum ornatum, cæco impetu, & abſque conſilio extitiſſe? Cum videmus ſuperbum quoddam ædificium, quis credat fortuito lapidum, & lignorum motu ædificium illud conflatum eſſe? Cum videmus horologium affabre factum, quis ſibi fingat, rotas omnes, atque organa, quibus horæ menſurantur, & deſignantur, fortuito motu ad ſe acceſſiſſe? Cum videmus eximium poema, e. g. Virgilii Æneidem, quis ſo-

inniet, atramenti guttas, vel characteres typographicos fortuito motu ita ſe chartæ impreſſiſſe, ut poema illud conſtituant? Atqui non minus abſurdum eſt, tam pulchram, tam eximiam, tam ordinatam Mundi compagem, merum caſus effectum eſſe. Si caſus olim hæc effecit, qui fit, ut nullæ novæ animantium ſpecies, nulli novi homines e luto emergant?

V.

Fuerunt inter veteres, nec pauci ſunt inter recentiores, qui ut ex parte ſaltem declinarent Epicureorum deliramenta, in aliud incurrerunt, illudque abſurdius, materiæ nempe convenire cogitandi facultatem, atque ita Deum cum univerſo confundere non dubitarunt. Non deſunt plures rationes, quibus Philoſophi demonſtrarunt materiæ repugnare omnino cogitationem, ſed ea tanquam omnium invictiſſima a nobis adducitur, quæ petitur ex mente noſtra. Si enim nos percipimus eodem tempore totum aliquod objectum, neceſſe eſt ut mens noſtra careat partibus, aliàs unaquæque pars mentis perciperet unam objecti partem ſibi correſpondentem, nec ulla perciperet omnes. Jam vero cauſa mentis, quæ eſſe non debet in percipiendo mente inferior, carebit, & ipſa partibus, quas tamen habet materia. Si autem cauſa rerum omnium a materia ſit diſtincta, ſequitur clariſſime Dei veri propriique dicti exiſtentia, atque religio, ſeu cultus; nam ſi daretur Ens aliquod æternum, & cauſa rerum omnium, quod tamen non eſſet aliud a nobis, nos illud pro lubitu venerari poſſemus. Unde tota ratio Divinitatis ſita eſt in diſtinctione ab hac rerum univerſitate. Et hinc allata argumentandi ratio a noſtro Præſule propoſita in ſuo nupero opere (*a*) inter innumeras alias,

quæ

(*a*) Rm̃us P. Abbas D. Fridericus de Judice Sacrorum Dogmatum in Romano Archigymnaſio Profeſſor in ſua Inſtitutione Theologico-Dogmatica part. 1. cap. 1., ubi invicte demonſtrat Dei exiſtentiam contra cujuſque ſpeciei Atheos.

Digitized by Google

quæ afferri communiter ſolent (*a*) non ultimum meretur locum præſertim contra Atheos ſpeculativos, qui ſyſtemata condidere. Eo vel magis, quod ea evincimus quoque animæ, utpote partibus expertis immortalitatem natura ſua; quod conſtituit alterum principalem articulum noſtræ Religionis.

V I.

Contra tamen Impius Spinoſa, & Tolandus, etſi probè noverint, ſapientiſſimum rerum omnium Artificem ſimpliciſſimum, ut ipſi tamen inſanum illud veterum Philoſophorum figmentum de novo excitarent, omnemque Religionem auferrent omninò, geometrica methodo ſophiſmata illa in lucem ediderunt, quibus probarent, unicam dumtaxat, & ſimpliciſſimam exiſtere in hac rerum univerſitate ſubſtantiam, & hanc non ſupremi Numinis tantum, ſed totius Mundi, etiam univerſalem eſſe ſubſtantiam: exinde autem Impius Spinoſa cæterique Spinoſiſtæ ſtatim deduxerunt, illi ſubſtantiæ eſſentialiter competere non minus extenſionem, quam cogitationem, reſque extenſas, & cogitantes non eſſe ſubſtantias ab unica illa ſimpliciſſima diſtinctas, ſed ejus varias modificationes. Sed ſi hoc non eſt inſanire, quid aliud erit? Communis ſenſus, & ipſa Philoſophia non ferunt tot portenta, ex quibus ſequuntur, & innumera repugnantia: ita e. g. eandem partem materiæ una ſimul eſſe poſſe quadratam, & rotundam; aſcendere ſurſum, & deorſum; quieſcere, & moveri; item eandem mentem eodem tempore affirmare, & negare; & tandem Deum ipſum eſſe bonum, & malum. Denominationes enim non ſunt modificationum, ſed ſubſtantiarum.

V I I.

Demonſtrata Dei, ſeu Entis independentis, cauſæ re-

(*a*) Præter noſtros, ſunt Academici Londinenſes, quorum opera in Epitomen redacta ſunt lingua gallica a Brunet in *6.* tomo, in quibus variis modis oſtenditur veritas Religionis Naturalis, & Chriſtianæ.

Digitized by Google

rerum omnium, & ab univerſo diſtincti exiſtentia, reliquum eſt; ut ejus attributa inveſtigemus, quæ quidem facillime nobis innoteſcent, ſi non alio ex fonte illa deducemus, quam ex iis ipſis argumentis, quibus Dei exiſtentia demonſtrata eſt. Ea quippe argumenta id præclari habent, quod non ſolum oſtendant Deum eſſe, ſed & infinitas ejus perfectiones explicent, & ad oculum quaſi exhibeant. Sed ne cui fortè methodus hæc noſtra injucunda videatur; ſciendum eſt, nos in inveſtigatione Divinorum attributorum eo etiam ordine procedere, qui Geometris familiaris eſt, quique revera ad inquiſitionem veritatis plurimum valet, Ea nimirum ita diſponemus, ut aliud ex alio fluere videatur, iis primo loco collocatis, quæ ſunt notiora, ac evidentiora, iis vero poſtpoſitis, quæ priorum opera dignoſcuntur. Poſtquamvero ſingulæ Dei perfectiones ratiociniis e lumine naturali petitis evictæ a nobis fuerint, eaſdem quantum res feret, teſtimoniis ſapientum Ethnicorum confirmamus.

VIII.

Dum argumenta illa, quibus Dei exiſtentiam demonſtravimus, diſcutienda adgredimur, illud primo loco nobis occurrit, quod ſcilicet Deus ſit ens independens, unde, & æternum, quamobrem opportunum nobis erit illius æternitatem nunc, quantum per nos fieri poteſt, contemplari. Sociniani cum Worſtio Calviniſta contendunt, æternitatem Dei ſucceſſioni, & variis temporum differentiis obnoxiam eſſe. Verum præclariſſimi Viri, qui germanam poſt Boetium æternitatis definitionem tradiderunt, docent illam non ſolum principio, & fine carere, ſed temporum etiam ſucceſſionem excludere omnino; hoc itaque reſpectu æternitatem a tempore diſtinctam volunt, quod tempus ſit duratio ſucceſſiva, variis momentis ſibi ſuccedentibus conſtans: Æternitas autem ſit fixum *quid*, & puncti inſtar, quæ tota coexiſtat omnibus temporum differentiis, dum illæ non ſimul, ſed ſingulæ ordine

Digitized by Google

dine ſuo exiſtunt; adeout licet in rebus creatis reſpectu durationis ſit prius & poſterius, illud tamen in æternitate locum non habeat. Et recte quidem, etenim ſi ſucceſſionem in æternitate admittamus, vix evitari poteſt, quin primum aliquod in æternitate momentum agnoſcere cogamur. Quod æternitatis notioni directè adverſatur. Quia nullum momentum æternæ hujus ſucceſſionis præterjiſſe dici poteſt; quin aliquando fuerit præſens: quia præterjiſſe dici non poteſt, quod præſens nunquam fuit: neque verò quod præteriit etiam nunc præſens eſt. Unde cum omnia hujus ſucceſſionis momenta aliquando præſentia fuerint, nec tamen unquam plura uno ſimul, ſed ſingula unum poſt alterum ſemper ſucceſſerint, ſequitur quod aliquando fuerit, cum omnia, ſaltem præter unum, erant futura. Et ſic vel inviti videmur reduci debere, ad primum durationis ſucceſſivæ principium, quantæcumque eam concipiamus extentionis. Quod æternitatis notioni eſt adverſum.

IX.

Rejecta Socinianorum, aliorumque hujus furfuris opinione circa Dei æternitatem, ſi ad illa, quibus ſupremi Numinis exiſtentiam probavimus, denuo redeamus, illud nobis ſecundo loco ſeſe repræſentat, quod videlicet Deus ſi ſit Ens independens, erit immutabilis. Etenim quod eſt independens, illud neceſſe eſt non modo ſemper eſſe, ſed & ſemper eſſe id quod eſt, ac proinde non mutari; quidquid mutatur; vel a ſeipſo mutatur, vel ab aliis. Ab aliis mutari nequit Deus, ſiquidem eſt independens. Cur vero aut qua ratione a ſeipſo immutaretur nemo dixerit. Rurſus quidquid mutatur vel accipit aliquid quod non habebat, vel amittit aliquid quod habebat. Deus accipere nihil poteſt cum dederit ſibi eſſe, ac proinde bona omnia, neque etiam quidquam poteſt amittere; quis enim ei aliquid auferat, qui a nemine quidquam accepit?

X.

Æquo modo ex independentia reliqua Dei attributa colligere licet, ſed ne per ſingula oratio noſtra percurrat, ſat erit omnia ſimul ita demonſtrare. Qui eſt independens, natura ſua neceſſario exiſtit, ſeu eſt a ſe, & qui dedit ſibi eſſe, quod maximum eſt, conceſſit ſibi, & omnes perfectiones, cum nemo invehat in ſeipſum, nec eſſe potuit a quo limitaretur. Non paucæ quoque, Dei perfectiones ex eo erui poſſunt, quod nempe ſit rerum omnium cauſa, cum apud omnes axiomatis loco ſtet illud: nemo dat quod non habet; & cauſa eſſe nequit minus perfecta ſuo effectu. Quo fit, ut in Deo agnoſcamus neceſſe eſt ad minus perfectiones omnes, quæ elucent in Creaturis, & quidem perfectiſſimo modo, quod ſane exigit, uti dictum, independentia.

X I.

Inter Creaturarum omnium perfectiones eminet humana intelligentia, qua non pauca noſcimus, & in his ſitæ ſunt omnes humanæ diſciplinæ. Omnia igitur cognoſcit Deus, & ſe nimirum ſuaſque perfectiones, ac operationes, & res omnes a ſe conditas cum ſuis omnibus attributis, facultatibus, & actionibus; adeout defectus omnes, qui in noſtra, aliorumque Entium intelligentium cognitione reperiuntur, ab illa utique ſint omnino removendi. Cum enim nos nonniſi pauca ſciamus, Deo nuda omnia, atque aperta ſunt. Cum obſcuræ ſint, ut plurimum notiones noſtræ, Dei notitia clara ſemper, & diſtincta eſt. Cum nos perſæpè fallamur, ille nunquam. Cum nos nonniſi cum labore per ratiocinia, & conſequentias, & longo temporis tractu in multarum rerum, cognitionem deveniamus, Deus unico obtutu, ſimul ac ſemel, & citra laborem ullum omnia percipit.

X I I.

Nec ſubducendæ ſunt a Divina ſcientia futurorum, etiam contingentium, & liberorum cognitiones. Etenim

cum

Digitized by Google

cum cogitamus, Deum eſſe rerum omnium cauſam, ipſaque Entia contingentia e nihilo eduxiſſe; cum cogitamus abſque Deo Entia illa merum nihil fore, & quidquid habent realitatis, quidquid facultatis, quidquid perfectionis, Deo in totum debere, utique abſurdum videatur cenſeri, aliquid in iis eſſe, aut iis accidere, quod Deus non præviderit. Quod ſi eſſet, unoquoque momento plurimorum ignoratione laboraret Deus, unoquoque momento anceps hæreret, atque incertus quid ſequenti momento futurum eſſet, unoquoque momento innumera ſibi ignota a Creaturis ſuis diſceret: quæ omnia ab Ente ſummo, quod omnia e nihilo eduxit, quam aliena ſint, eoque indigna, nemo non videt. Nec dicendum futurorum contingentium cognitionem per ſeipſam impoſſibilem, ſiquidem poſſunt eſſe, & non eſſe, neque unius partis determinata eſt veritas: etenim ſi nos ipſi, quorum cognitio arctis adeo limitibus circumſcripta eſt, res tamen liberas non raro, & certiſſime quidem prænoſcamus; ſi Vir politicus e. g., de Arcanis Principum conſiliis, & futuris Mundi eventibus ſæpiſſime judicet. Si Pater de Filio, Præceptor de Diſcipulo, Amicus de Amico, Vicinus de Vicino certiſſima ut plurimum judicia ferant, quid mirum ſi Deus infinito intervallo ſupra nos poſitus, quique mentes omnes intimè novit, utpote quas ipſemet finxit, futuras earum determinationes perſpectas habeat? Modus quidem rei etiamſi nos lateret, ut, & alia bene multa ad Deum ſpectantia, res tamen ipſa rationi conſentanea videtur.

XIII.

Entia omnia intelligentia, quæ a nobis cognoſcuntur voluntate quoque, & quidem libera prædita ſunt, unde dubitare minime poſſumus, quin auctor naturæ noſtræ eadem facultate polleat, & in gradu quidem præſtantiſſimo, & perfectiſſimo. Sed etiam omiſſa hac ratione, quæ ex noſtra deſumitur experientia, omnia Dei

Digitized by Google

opera non intelligentiam modo, ſed & voluntatem res pro lubitu ſtatuentem, ac diſponentem innuunt. Quis oculos in hanc rerum univerſitatem attollens, rerumque fines, & conſecutiones obſervans, non depræhendat artificis haud ulla quidem neceſſitate conſtricti, ſed libere volentis, atque ordinantis indicia? & ſane ſi neceſſitate ductus eſſet Deus ad res producendas, & conſervandas, hæ neceſſario exiſterent, utpote a cauſa neceſſaria, quod quidem fatetur ſpinoſa. Sed id falſiſſimum eſſe ſupra oſtendimus, & experientia demonſtrat. Nam quotidie corpora corrumpuntur, & de novo generantur, cum tamen deberent perpetuo exiſtere; utpote unum, & idem cum ſubſtantia natura ſua æterna. Imo nulla daretur rerum ſucceſſio, quia neceſſitas illa efficeret, ut res omnes poſſibiles, vel ſaltem, quæ futuræ ſunt, una ſimul producerentur. Deinde poſita neceſſitate in Deo, ipſe non fuiſſet vera rerum cauſa; nam qui cogitur ad aliquid, vere non agit, ſed patitur: ita lapis non eſt cauſa ſui deſcenſus, quia impellitur verſus terræ centrum a gravitate: idque verum eſſet, etiam ſi lapis perciperet ſuum deſcenſum. Ipſe autem ſpinoſa nobiſcum fatetur, Deum dici poſſe, & eſſe rerum cauſam. Quod ſi verbis ludere intendat, quod non videtur improbabile ex ſuis principiis, tunc ſaltem ſequeretur. quod nulla extaret, nec ulla extare poſſet cauſa; quia ſi non Deus, multominus reliqua verè agerent, cum ab ipſo accipiant eſſe, & vim omnem, nec major eſſe poſſit perfectio in effectu, quam in cauſa. Unde nullus exiſteret, nec exiſtere poſſet effectus rerum, quas cauſas ſecundas appellamus; quod tamen falſiſſimum eſt, etiam per ipſum ſpinozam, qui negare minime poteſt, quod ipſe fere perpetuò moverit manum, ſcripſerit, & compoſuerit ſua impia opera. Nec cauſis ſecundis intelligentibus, & multo minus Deo tollit libertatem ratio boni, & veri, quam Leibnitiani vocant rationem ſufficientem, contra Neu-

to-

tonianos, quia ipſa ſumma bonitas, & veritas eſt idem Deus, & non aliquid diſtinctum.

X I V.

Cum noſtra voluntate conjuncta eſt potentia quædam, quod volumus, efficiendi, ſed limitata valde atque circumſcripta, Deus autem quidquid poſſibile eſt; & cum ſumma ejus perfectione non pugnat efficere etiam poteſt. Patet hoc evidenter ex Dei operibus. Etenim, qui res omnes, quæ in Orbe exiſtunt, produxit, qui eas diſpoſuit, quis eum infinita potentia præditum eſſe non confiteatur? nam inter nihilum, & Ens, tantum eſt diſtantiæ, ſeu oppoſitionis; ut major concipi nequeat: infinita proinde potentia ad ſuperandam diſtantiam illam opus fuit. Qui vero id, quod ſummum eſt potuit, quid tandem eſt, quod ejus potentiæ limites excedat; eſt ergo Deus omnipotens. Qua vero ratione Dei omnipotentia ſe exerat, ſuaſque edat operationes, noſtri non eſt ingenii concipere, ac determinare. Hoc ſcimus, Deum agere modo perfectiſſimo, & ſupra noſtram imbecillitatem longiſſimè poſito, ſine labore, ſine moleſtia, ſumma voluntatis efficacia, quam effectus ſtatim ſequitur.

X V.

Utuntur homines ſua intelligentia, & potentia ex naturali quadam propenſione ad conſervationem ſuorum, præſertim liberorum. Hinc concipi nequit Ens omnium ſapientiſſimum, optimum, præſtantiſſimum, operis ſumma ſapientia a ſe conditi incurium eſſe. Deus naturalem illam propenſionem ad liberorum curam hominibus cæteriſque animantibus omnipotentia ſuâ indidit; quomodo itaque ipſe procreatorum a ſe liberorum, Entium dico intelligentium, curam non haberet? Eximium certe Mundi ornatum, ſummam rerum conſtantiam, fixum jam cœleſtium corporum continuo volventium ordinem non ſine animi oblectatione intuemur. Sed conſtans hìc rerum ordo, conſtans illa cœleſtium corporum revolutio;

fixa

Digitized by Google

fixa temporum viciſſitudo, nonne clariſſima ſunt providentiæ Divinæ indicia? per plura jam annorum millia nihil de priſtino Mundi ornatu, ordineque deceſſit. Sed undenam tanta conſtantia proficiſcitur, niſi ex immutabili ſupremi Numinis voluntate? Omnia certe a Deo optimo maximo, a quo exiſtentiam acceperunt ita pendent, ut ne momento quidem ſine ejus virtute conſervari poſſint. Etenim quantamcumque ille creatis Entibus perfectionem tribuat, vel tribuere poſſit, ipſis tamen nec Entis creati naturam auferre, nec exiſtentiam neceſſariam, adeoque independentem dare poterit. Non magis poteſt Deus (liceat dixiſſe) Creaturam, quæ a ſe continuo non pendeat, quæ ſua virtute continuo non indigeat, producere; quam Creaturam æternam, vel, quod idem eſt, quam creaturam, quæ non ſit creatura. Providentia Divina tam clare fulget, ut a nemine negari poſſit. Enim vero, quis corpora animantium adeo affabre facta, quis continuatas eorum generationes perpetuis miraculis ſcatentes, quis eorum ſpecies ita definitas, ut nec multiplicentur, nec intereant, quis ſubſidia omnia ad eorum alimentum, & conſervationem neceſſaria, quis ſpeciatim humanum genus, cui tanta ſapientia, tanta bonitate, tanta munificentia Deus conſulit, quis ſtupendam illam planè corporis noſtri texturam, cujus vel minima pars prodigii loco cenſenda eſt, quis miram ejus conſervationem, inter tot pericula, tot morbos, atque in tanta organorum debilitate, quis admirabilem infantium in utero procreationem, quis opportunam mentium humanarum generatis corporibus infuſionem (quod vel unum Dei providentiæ nunquam ceſſantis invictum argumentum eſt) quis lac maternum ſtatim ab ortu ipſis paratum, quis ſobolis curam Parentibus ingenitam, quis innumera ad ſocietatem conſtituendam, & faciendam auxilia, quis miram illam e. g. in hominum vultibus, ac lineamentis, ſonoque vocis diverſitatem,

quam-

Digitized by Google

quamvis eædem ſint partes, quibus innumeri illi vultus conſtant, quæ quidem diverſitas quanti ſit uſus, immo quantæ neceſſitatis in ſocietate, nemo eſt qui non videat; quis inquam hæc aliaque innumera ſtudioſis oculis luſtrans, & attenta mente perpendens, ſapientiſſimam Dei cûram, indefeſſam ejus providentiam, tum in rebus condendis, tum in iis conſervandis non admittat?

X V I.

Evenire plerumque ſolet, ut quod evidenter a præclariſſimis Viris demonſtratum eſt, iis involvatur difficultatibus, quæ minimè ſolvi poſſunt, idque ſanè non in Theologicis tantum, ſed in Mathematicis etiam videmus contingere. Verum hujuſmodi perplexi, atque intricati nodi minimè impediunt quominus res ipſa in qua difficultates illæ occurrunt pro certa habeatur, & rationibus, quæ illam demonſtrant perſuadeamur: rei ſiquidem, de qua tractatur magnitudo, & limites ingenii humani, qui certe arctiſſimi ſunt, efficiunt ſæpiſſimè, ut ne ſolertiſſimi quidem rerum indagatores ab iis ſe extricare valeant. At ſi in Mathematicis Phyſicisque rebus idipſum hominibus accidere ſolet, quam potiori jure in adminiſtratione divina? agitur enim de re vaſtiſſima, & excellentiſſima, de re infinito intervallo ſupra nos poſita, de re, quæ ut perfectè intelligeretur innumera creatas omnes intelligentias ſuperantia noſse oporteret, ac ſane, ut certo definiri a nobis poſſet in caſibus omnibus quid Deum deceat, quid non deceat; & ut de univerſi ſiſtemate a nobis exactè judicari queat, perfectè nota nobis eſſe deberent Dei immenſa natura, infinita hujus attributa, & profunda illius conſilia: item omnium rerum naturæ, earum inter ſe innumeræ relationes, & nexus rerum præſentium cum præteritis, & futuris. Exemplo ſit aliquod drama, de quo ferendum judicium poſtquam noverimus Auctoris ſcopum, actorum partes, & repræſentationis finem, ſeu ultimi actus exitum. Hinc Judices iniqui merito

Digitized by Google

rito reputantur illi, qui ob nonnulla, quæ ſibi inordinata, & inutilia videntur, Dei providentiam negare, aut accuſare ſuſtinent. Sed potius ſperare deberent, ut aliquando poſſent devenire in illorum perfectam notitiam, & admirari divinam providentiam: quod quidem non raro accidit præſertim in corpore humano, in quo antequam circulatio ſanguinis, aliaque in Anatomia retecta eſſent, multæ illius partes inutiles, & fruſtraneæ videbantur. At vero poſt hæc inventa, partium illarum uſus bene intelligitur. Item in Cœlo ex novis recentiorum Aſtronomorum ſyſtematibus, & obſervationibus argumenta habemus ſatis ampla providentiæ, & ſapientiæ Divinæ. Cæterum quæ ex adverſo afferuntur ab incredulis non tanti quidem ſunt, ut non poſſint ſatis probabiles afferri rationes ad ſalvandam divinam providentiam.

XVII.

Ex tanta Dei providentia cæcus ſit neceſſe eſt, qui non admiretur erga nos ſummam Dei bonitatem, & una ſimul erga eum gratum animum non habeat, illumque pro naturæ ſuæ ſumma excellentia veneretur. At iniquiſſimi quidam homines, ut declinarent Athei nomen, ſimulque libere viverent variis modis Cultum Divinum evertere conati ſunt. Vel enim ipſi ſibi perſuaſere, Deum de cultu, etſi ſibi debito, nihil penitus curare, vel contentum de quocumque, vel nullum dari determinatum in ſe cultum bonum, & malum. Quidquid ex his dicatur, maxima eſt blaſphemia cum ſumma ſtultitia conjuncta. Datur enim diſtinctio ab omnibus, & quocumque tempore agnita inter bonas, & malas actiones humanas, eaque in ipſa rerum natura, uti inter verum, & falſum. Non enim petimus normam, ſeu regulam actionum humanarum a Legibus poſitivis hominum, non a propria utilitate, non a bono communi, ſeu ſocietate, ut vocant, non ab amore. Hæ ſane rægulæ vel ſunt falſæ, vel non ſufficientes, vel periculoſæ, vel impiæ. Sed recurrimus

rimus

Digitized by Google

rimus pro regula ad convenientiam inter actiones humanas, & Entia intelligentia, quæ eſt naturalis, uti convenientia inter ipſas rerum naturas: ita ut quemadmodum veritates ſpeculativæ ſunt natura ſua immutabiles, ſimili modo, & practicæ. Hinc fieri non poteſt, ut Deus Optimus Maximus non approbet virtutes; ac proinde non curet illas ab hominibus exerceri. Et licet Deus nihil boni, vel mali ex creaturis poſſit accipere, nequit tamen non approbare, & velle, qualeſcumque ſint, rerum naturas, earumque relationes.

XVIII.

Homines proinde ſequi deberent virtutes propter eandem innatam pulchritudinem, & multo magis, ut adimplerent beneficentiſſimi Creatoris voluntatem, conveniens, quin, & neceſſarium fuit, quod ſapienter ſtatutum extat in quacumque humana ſocietate præmia bonis, pœnas autem malis proponere. Quod ſi ita eſt, uti mordicus defendimus, jam datur divina retributio, quam horrent nefarii homines. Ea autem ſita non eſt ſolum in diſtributione bonorum, & malorum hujus vitæ, quæ natura ſua ſecum afferunt virtutes ipſæ, & vitia, ſed in futura alia vita. Non ſemper enim illa diſtributio accidit, vel ob iniquorum malitiam, vel ob alias reconditas Divinas rationes, itaut Viri optimi ſæpiſſime miſerrimi ſint, & Viri peſſimi multoties florentiſſimi. Unde alter agnoſcendus eſt poſt mortem ſtatus, in quo Deus futurus ſit juſtus retributor. Id autem confirmari poteſt immortalitate Animæ, ita ut hæc poſt corporis diſſolutionem ſuperſtes ſit futura. Nam ſi moriente corpore, mens deſtrueretur, id fieret, vel ob ipſam corporis diſſolutionem, vel ob ipſam mentis naturam, quæ ex ſe ipſa ad interitum tenderet, vel ob Dei voluntatem, qui eam annihilaret, vel ob aliquam aliam cauſam. Mentem deſtrui per ipſam diſſolutionem corporis dici non poteſt, ſiquidem ſunt duæ ſubſtantiæ realiter inter ſe diſtinctæ,

qua-

quarum proinde neque una poſita, altera ponitur, neque una ſublata, altera tollitur. Mentem deſtrui ob ipſam mentis naturam, quæ ex ſe ipſa ad interitum vergat, dici etiam non poteſt: nam quæ res compoſitionis eſt expers, qualis eſt, ex Dei exiſtentiæ demonſtratione, mens humana, ea ex ſeipſa nec diſſolvi, nec ad interitum tendere poteſt. Aliam aliquam cauſam interitum menti allaturam, non magis dici poteſt, quoniam nulla hujuſmodi cauſa occurrit, imo vero clare cognoſcimus, nonniſi potentiam infinitam, ut ſubſtantias creare, ita, & deſtruere poſſe. At Deus, uti diximus, illam non eſt annihilaturus.

XIX.

Nec quis, ut Dei juſtitiam effugiat, putet ſe præſidium adinventurum apud alios Deos, nam Deus ita eſt unus, ut præter ipſum alios Deos exiſtere repugnet omnino. Deus, ut diximus, eſt Ens neceſſarium, & independens. At plura Entia neceſſario exiſtentia repugnant; quia ſi Deus A. neceſſario exiſtit; ergo Deus B. non neceſſe eſt, ut exiſtat; & ſi Deus B. neceſſario exiſtit; ergo non eſt neceſſe, ut exiſtat Deus A. Idque multo magis verum eſt reſpectu noſtræ cognitionis; quia neceſſitas Entis independentis a nobis deducitur ex exiſtentia rerum crèatarum, & harum creatio abundè obtineri poteſt ab uno Ente independente. Deinde ſi plures eſſent Dii, vel ſinguli nihil poſſent cogitare, neque agere, niſi cæteris conſciis, & conſentientibus, vel ſinguli res ſuas ſeorſim pro lubitu agere poſſent. Si prius nemo eorum eſſet independens, contra ſumma eſſet ſingulorum dependentia, nemo etiam omnipotens, cum nemo nihil ſine ſociorum conſenſu agere poſſet. Si poſterius, nemo eorum eſſet omniſcius; ſiquidem cæterorum cogitationes, & conſilia ignoraret. His accedit etiam, quod dum orbem contemplamur, variaſque, quibus conſtat, partes inter ſe comparamus, tantam inter eas harmoniam, omnia ita apte inter ſe connexa, & ad eumdem finem inter

ter

Digitized by Google

ter ſe tendentia deprehendimus, ut eumdem eſſe tanti Ædificii Architectum plus ſatis pateat. Certe Cœleſtium cum Terreſtribus, & Terreſtrium inter ſe tam egregius eſt concentus, tam arcta ſubordinatio, ac dependentia; ut unum eſſe tam exquiſitæ Macchinæ Auctorem, & Præſidem manifeſtum ſit.

X X.

Dei unitati peculiari quadam ratione adverſati ſunt duorum principiorum adſertores: quales fuere apud Ethnicos Perſæ, qui bonum principium *Oromazem*, malum *Arimanium* dicebant. Quem errorem, & in Chriſtianam invexerunt Eccleſiam Marcionitæ, & Manichæi, verum non alio fundamento nitebatur figmentum illud, niſi, mali origine non intellecta; quam cum conciliare cum boni Dei natura non poſſent, eam malo cuidam principio, boni æmulo, ejuſdem potentiæ, ac auctoritatis, tribuendam exiſtimarunt. Sed hæc duorum principiorum fictio eſt inutilis, & omnino abſurdiſſima. Quid enim a ratione magis alienum, quam Enti peſſimo, adeoque fœdiſſimo ac imperfectiſſimo, eandem illam potentiam, ac auctoritatem, quam optimo Numini, tribuere? Demus vero rem ita eſſe. Sed quis duo illa principia contrariæ adeo naturæ, ita in concordiam redegit, ut Orbem, qualis nunc eſt communi quaſi opera conderent, & adminiſtrarent? Quid ni potius in æternum colluctati ſunt? Vel quid ni res ſuas ſeorſim egerunt, & peculiares ſibi Mundos fabricarunt? Certe nec bonum mali molitionibus, nec malum boni conſiliis, ſe adcommodare unquam debuerat. Malum imprimis pro innata ſibi malignitate, atque potentia, tot, tantiſque bonis, quibus hæc rerum univerſitas abundat, pertinaciter obluctari, æternumque Chaos, æternam rerum omnium perturbationem, deformitatem, perniciem, quavis arte invictaque cum obſtinatione tueri debuit. Plura non addimus de figmento illo, quod ſua ſe futilitate abunde refellit.

XXI.

Digitized by Google

XXI.

Sunt inter Impios, qui ut libere vivant, & ſine futuræ retributionis timore, ad aliud ſe confugiunt Manichæorum deliramentum, quod ſcilicet homines ſint libertate deſtituti. At quomodo id aſſerere potuerint plane non videmus, cum ex proprio noſtro ſenſu, & experientia abunde conſtet eſſe in nobis libertatem. Etenim, ut a rebus indifferentibus initium ducamus, quis non intimè apud ſe ipſum ſentit, ac experitur ſe pro lubitu, e. g. brachium attollere, vel demittere, ſe pro lubitu oculos ad dexteram, vel ſiniſtram convertere? Pariter ſi agatur de judicio circa res non omnino claras ferendo, quis non ſibi ipſi conſcius eſſe poteſt, a ſe pendere, ut res propoſitas adcuratius expendat, antequam de iis pronuntiet; quod ſi vero præcipitanter de ignotis judicium tulerit, ſi præjudicatis opinionibus abreptus fuerit, ſi temere, atque imprudenter in aliorum verba juraverit, ſe ita egiſſe, quia voluit, prudentius vero, ſi voluiſſet, acturum fuiſſe? Rurſus quod ad bonorum, vel malorum electionem, quis propriam conſcientiam interrogans, non ſentiat, ſe ſæpiſſime, nullo cogente, nullo vim faciente, id elegiſſe, quod placuit, id repudiaſſe, quod diſplicuit, ſuarumque determinationum plane Dominum fuiſſe? Quanti ſit ponderis prima illa ratio ex proprio ſenſu deſumpta, ſequentibus obſervationibus non parum confirmatur. Primo non alia ratione cognoſcimus, nos exiſtere, nos cogitare, nos in hoc, vel illo ſtatu eſſe, nos hoc, vel illud agere, verbo, quidquid in nobis eſt, & ad nos pertinet, quam proprio ſenſu, & experientia. Quod ſi igitur ſenſus ille fallax eſt, nec ei fidere poſſumus, nihil certi erit in rebus humanis, & Pyrroniſmus generalis induceretur. Secundo non ſemel, atque iterum, ſed ſæpeſæpius, imo infinitis vicibus ſenſum illum propriæ libertatis experimur. Certe intra horæ quadrantem pluſquam viceſies, aut trigeſies experiri illum poſſumus,

mus, ſurgendo, ambulando, ſedendo &c. prout viſum nobis fuerit. Tertio non modo ſentimus, & nobis conſcii ſumus nos actus liberos exſerere, ſed illud in anteceſſum decernimus, atque prædicimus, dicimus, cras, ea hora, eo loco, iis adſtantibus, hoc vel illud a me fiet. Quinimmo, & cauſas occaſionales volitionum noſtrarum inſtituimus: dicimus, ſi hic, vel ille id egerit, ſi is, vel ille caſus acciderit, hoc viciſſim a me agetur. Quis non hinc colligat, nos vere Dominos eorum actuum eſſe, adeoque illos pro arbitrio, vel committere, vel omittere poſſe?

XXII.

Hac ſola libertate ſolvitur illud toties repetitum Manichæorum argumentum contra Dei unitatem, & bonitatem deductum ex malis. Nam duo ſunt malorum genera phyſica nempe, & moralia. Et ad moralia quod attinet, hæc ſunt ab hominibus non a Deo: neque quiſquam mortalium eſt, qui, ſi in ſeipſum deſcendat, non ſentiat ſe ideo peccare, quod velit, & ex animi ſententia peccare. Quod vero Deus ita homines finxerit, ut peccare poſſent, id ex eo oritur, quod eos liberos fecerit: quæ Entis ſpecies tantum abeſt, ut Deo indigna ſit, ut contra nullum creaturæ genus nobilius, magiſque admirandum, vel fingendo concipi queat. Quod ſi autem homines pretioſo illo libertatis dono abutantur, ipſorumque culpa eſt, ſibi imputent; neque Dei bonitas, quæ ipſos de officio monere, & ad officium hortari non ceſſat, ullatenus accuſanda eſt. Quod vero ſpectat ad mala phyſica, ea pariter maxima ex parte tribuere poſſumus malo uſui libertatis, nam vitia ſecum afferunt calamitates, miſerias, infirmitates, & mortem ipſam. Deinde hujuſmodi mala nihil aliud ſunt, quam minores perfectionum gradus, quos largiri pro lubitu ſummus rerum arbiter poteſt, vel ſunt juſtæ delictorum pœnæ, aut paternæ caſtigationes, quibus homines ad ſaniorem men-

Digitized by Google

tem revocentur: quæ omnia ab Ente optimo, & ſapientiſſimo haud quaquam abhorrent.

XXIII.

Jam ſolo rationis lumine, & citra revelationem ullam, ea omnia demonſtravimus, ex quibus veritas alicujus naturalis Religionis merito colligi poſſet. Sed res cum ſit maximi momenti, opere pretium eſt, demonſtrationem omnem in Epitomen redactam coronidis loco hic proponere. Si nullus in natura exiſteret Deus, nulla proculdubio eſſet Religio. Sed ponamus nunc Deum exiſtere, & cæco caſui creata cuncta reliquiſſe, adhuc jam nulla daretur Religio. Si nullam enim de rebus creatis curam haberet Deus, jam omnia ſine ullo beneficiendi animo creaſſet, hominesque ſine ulla ſpe auxilii ſui calamitatibus omnibus expoſuiſſet: quas itaque gratias Deo darent? quas præces effuderent? quem cultum ei exhiberent? nullum certè. Neceſſe eſt ergo, ut præter Dei exiſtentiam oſtendatur quoque ejus providentia, quæ certè efficeret, ut nos teneremur, ei exhibere cultum, ac proindè, & Religio exiſtere deberet. At ut ipſa de facto exiſtat ſequitur ulterius, ut homines actu colant Deum, ad quod non facilè inducuntur ex ſolo motivo adimplendi ſuum officium, ſed neceſſe eſt, ut ipſe Deus id jubeat, & quidem ſub promiſſione præmii, & comminatione pœnæ; quod idem eſt ac dicere, quod Deus ſit remunerator. Ut autem ſtatuatur remuneratio neceſſarium profecto eſt, quod ſint varii cultus, inter quos Deus aliquem determinatum præſcribat, quod jam poſuimus, & homines juſſionis ſint capaces. Hoc obtinebitur, ſi ſit homini libertas operandi, & illud non deſiderabitur, ſi contra non ſint alii Dii; qui alios, & maximè contrarios cultus præſcripſerint. Porro omnia hæc a nobis in ſuperioribus Theſibus poſita ſunt. Datur itaque Religio, ſeu cultus, iſque unus, & determinatus eſt. Ceterum etiamſi ipſa tam evidentibus argumentis non oſtenderetur,

tur,

Digitized by Google

tur, nonniſi ab inſano rejiceretur; cum ſi non extaret Religio, quam inficiantur, incurreret ſummum malum, nempe Dei indignationem, & ſi non extaret, quam tamen crederet, nihil mali ei eveniret. Quod ſi ipſe maximè faciat effrenem vivendi rationem, animadvertat, & libret mala inde futura in hac vita, quæ effugeret, ſi bene viveret. Et ſi adhuc obſtinatus ſit; ſaltem liberè loqui non deberet contra Religionem; & tamen ideo facit, ut internam conſcientiam extinguat, & ſe excuſet comparatis ſociis.

XXIV.

Hujuſmodi autem cultus (ut adimpleamus alteram veri Theologi partem de praxi) ſitus eſt in exercitatione virtutum, quæ triplicis ſunt generis pro triplici, quam habet, relatione, ad Deum nempe, ad ſe ipſum, & ad alios, eaque officia appellantur. Et, uti ſupra docuimus, fundantur in convenientia inter noſtras actiones, & dicta tria Entia. Ex illis præcipua ſunt ſequentia, quæ ita naturali lumine colligi poſſent, præſertim poſt revelationem factam. Et imprimis, quæ Deum reſpiciunt, ex quibus etiam deduci poſſunt, uti videbimus, alia memorata, quæ propterea conſtituunt pariter partem Divini cultus. Deus itaque eſt Ens optimum maximum, cauſa rerum omnium, & proviſor generalis, nec non actionum noſtrarum retributor. Ergo mœretur omnium amorem, & nos illum, quoad poſſimus, amare debemus; nam inter amorem, & bonum, excellens, & beneficum datur maxima convenientia. Amor autem importat erga objectum venerationem, gratum animum, & prontam executionem illius voluntatis. Idque multo magis affirmandum de amore erga Deum, qui eſt in ſe perfectiſſimus dedit nobis, quidquid habemus cum ipſo eſſe, & eſt daturus volentibus multo majora. Inde ſuper omnia amandus eſt Deus, cum reliqua Entia ſint nihilum ante ipſum, imo ipſe ſolus, cum ſit optimum maximum occu-

Digitized by Google

pat noſtrum amorem. Ulterius propter eandem rationem illum modis omnibus exhibere tenemur Deo; id eſt non tantum corde, ſed etiam dictis, & factis; nam hiſce magis amplificatur ejus gloria, & aliorum quoque amor excitatur: & revera quem nos ſummoperè amamus, curamus ab aliis quoque, ut ille ametur, atque noſtrum animum omni ratione ei manifeſtamus. Itaque non tantum privatim, quam publicè id a nobis præſtandum. Ad dicta autem præcipuè pertinent laudes, orationes, gratiarum actiones; eæque in ſacris præſertim Congregationibus peractæ. Inter facta præſertim refertur aperta confeſſio Divini amoris, & generatim loquendo facta omnia continentur in obſequio, mandatis Divinis, ſeu voluntati ejus, exhibito, & quicumque hoc obſequium non præſtat, minimè ſincerè amat, uti alium non amare cenſetur, qui factis illum offendit. Ea autem mandata omiſſis uſque modo relatis reſpiciunt nos ipſos, vel alios, & tendunt ad noſtri, & aliorum conſervationem. Quod vero illa ediderit Deus, ex eo facilè cognoſcimus, quod ipſe nos creaverit, & alios; ergo vult nos alioſque conſervari. Sed ut ſequamur noſtrum principium convenientiæ, id alia etiam ratione oſtendimus.

X X V.

Quiſque in ſe experitur quendam ſui amorem, qui Philautia vocatur, quique ſi intra ſuos limites continetur innatus, & naturalis eſt, reſpicitque propriam conſervationem, ac veram felicitatem. At cum duplex ſit in nobis pars, anima ſcilicet, & corpus, ad utrumque ſtudium noſtrum dirigatur neceſſe eſt. Et ad animam quod attinet, cum ſit intellectu prædita, operam dare debemus ſcientiis, ut non ſolum ipſa pabulum veluti accipiat, & perficiatur, ſed etiam inſtructa neceſſaria cognitione mala declinare poſſit, quæ animæ dant mortem, & contra adimplere queat ſua officia, ea præſertim, quæ exerceri debent, uti diximus erga Deum, & ita felici-

tatem

Digitized by Google

tatem indè conſequatur. Non ergo incumbendum inutilibus, & vanis cognitionibus, nec neceſſariis, & utilibus animo fovendæ ambitionis, aut captandæ gloriæ, aut lucri conſequendi. Ut autem cognita officia executioni demandentur, & peccata omittantur, amor proprius, & affectus in ordinem redigendi ſunt ſuum. Ad corpus deinde conſervandum multum quoque confert ſuæ Conſtitutionis cognitio, & ſecundum eam illi præbendus cibus, & potus, & ſolatia concedenda: non autem indulgendum ſenſibus, quod idem eſt, ac dicere, damnum ne inferatur corpori in dictarum rerum uſu, ſive per exceſſum, ſive per defectum, ſed adhibenda temperantia; Hæc ſervari etiam debet in reliquis, quæ corporis conſervationi inſerviunt, uti bona fortunæ, cum ſua abundantia officere poſſint, & in illis acquirendis ſe conjicere ſolent homines in maxima pericula, ac vitæ diſcrimen. Multo minus igitur contra proprium corpus directè agere poſſumus, uti mutilatione alicujus membri, vel violenta morte, neque ea permittere debemus ab aliis fieri, niſi legitima, & neceſſaria ſit cauſa, uti infirmitas aliqua, quæ cogeret, quandam corporis partem abſcindi, & executio noſtri officii præſertim erga Deum, quæ impediretur etiam timore mortis. Si ita, uti diximus, conſervetur corpus, & anima, felices erimus in hoc Mundo, nam erit mens ſana in corpore ſano, & feliciſſimi erimus in altero, ubi erit Deus Retributor.

XXVI.

Deinde cum reliqui homines ſint nobis ſimiles, & æquales, ratio dictat, ut alios proſequamur eodem amore, ac nos ipſos; ac proinde ne dum non debemus ad eorum deſtructionem tendere, verum etiam concurrere ad illorum animæ, & corporis conſervationem ac felicitatem. Cavendum itaque eſt nobis, ne ipſos lædamus in anima, corpore, & bonis. Læditur autem anima, ſi non ſolum conſulto alios adducamus ad peccandum, ſed

etiam ſi eis noſtro vivendi modo ſcandalum præbeamus; nam mortales proniſſimi ſunt ad aliorum dicta, & facta imitanda. Læditur deinde corpus, ſi directè, aut indirectè intentamus aliorum, aut mortem, aut membrorum mutilationem, aut aliquid corporis damnum. Læditur tandem quis in bonis, ſi præſertim denigretur fama, quæ eſt altera hominis vita, libellis famoſis, raptu, ſtupro, adulterio, ſimilibuſque: item ſi contemnantur aliorum jura, autoritates, uti auferre res, quæ ſunt ſub aliorum dominio, non obedire imperantibus, judicibus, dominis, non venerari magiſtros. Hæc ſunt præcipua, quæ apponuntur aliorum conſervationi, & felicitati, quæque fieri prohibentur. Quæ vero jubentur, ut promoveamus aliorum ſalutem, & bonum, ſunt. Imprimis generaliter loquendo obligati ſumus aliquam, & hujuſmodi vitæ rationem ſeligere; qua poſſimus aliis prodeſſe; ideſt incumbere ſcientiis, & artibus utilibus, ac ſuſcipere munia publica ſi nihil legitime nos ab iis avocet. Deinde, ſi ſpeciatim loquamur; Quod ad aliorum animam ſpectat, tenemur idiotas erudire in vera præſertim religione, & errantes, vel peccatores ad veritatem, vel bonam frugem revocare. Reſpectu verò corporis, denegare non debemus ægrotis cum poſſumus, noſtrum conſilium, vel operam; nec in periculo conſtitutis, vel non jure afflictis noſtrum adjutorium, vel juxtam defenſionem. Et demum quoad bona obſtricti ſumus, quatenus poſſimus, præſertim ad calumniam repellendam ab innocentibus; item ad pauperes ſublevandos, cum maximè fieri queat ſine noſtro incommodo, & tandem ad reddendum, quod aliis debemus. Debetur autem alteri aliquod, vel ratione recepti beneficii, vel promiſſionis factæ, vel initi pacti contractus, fœderis. Si enim conferre debemus aliis beneficia, multo magis benefactoribus, vel quos certos fecimus, vel iis, qui ſua nobis dederunt cum conditione compenſationis, quam

jam

jam acceptavimus, quaque non adimpleta, nedum damnum in eorum bonis inferimus, ſed etiam illos decipimus. Hæc itaque ſunt noſtra officia erga alios, circa quæ duo animadvertenda: & primum eſt, quod ex illis quædam dant actiones alteri contra nos, uti pactum, furtum, alia vero non, uti beneficium miſericordia &c. Secundum eſt, quod ſervetur ordo, ſi plures ſimul ſint, qui noſtra opera indigent, ita ut attendi debeant gradus cognationis eorum cum nobis, varietas neceſſitatis circumſtantiarum &c.

XXVII.

Si ratione itaque rectè utamur, & ad mirabilia Dei opera, ut par eſt, attendamus, non poſſumus non Creatorem agnoſcere, & noſtra etiam officia intelligere. At, ſi deſit attentio, ſi deſit cura, in obſervandis, inveſtigandiſque Divinis illis documentis, utique obſcurari, atque ignorari ab hominibus poſſunt. Ad eundem plane modum, quò, licet Deus ſolis jubar in Orbe accenderit, ut homines eo illuſtrentur; non tamen eo illuſtrari poſſunt, qui ſomno indulgentes, vel clauſis oculis, aut velo tectis, illi naturæ beneficio obices ponunt. Et revera ea fuit infelicitas, verius dicam, incuria, ſomnolentia, depravatio humani generis, ut naturales Dei notiones jam inde ab antiquis temporibus, obſcuratæ ſtupendum in modum apud pleroſque Populos, & tantum non extinctæ fuerint. Loco unius veri Dei Conditoris Cœli, & Terræ, neſcio quot Deos fictitios ſibi ſumpſerunt, Cœlum, & Aſtra, homines pridem defunctos, & multos quidem, vitiis, ac ſceleribus inſignes, imo bruta animantia, hortorum ſuorum plantas, quin, & mera accidentia, quales ſunt virtutes, & vitia, febrim, pavorem, fortunam &c. Neque ſolum gentes barbaræ, & culturæ omnis expertes in hanc inſaniam delapſæ ſunt, ſed gentes excultiſſimæ, & diſciplinis florentiſſimæ, Caldæi, Ægyptii, Græci, Romani, Teſte loco illo Satyri-

Digitized by Google

ci (*a*). Quemadmodum verò in Dei notitia, ita, & in ejuſdem cultu, & tota vitæ ratione, a veritate, & pietate quam maximè aberrarunt. Quis enim neſcit ineptias, quis neſcit fœdos, & crudeles ritus, quibus Ethnicorum ſacra abbundabant, quorum omnium apud Ethnicos, cum veteres, tum recentes, ita obvia ſunt exempla, ut ea hic congerere nil neceſſe ſit. Phyloſophi quidem rectiùs, quam vulgus de Deo, & Divinis ſentiebant, imo, & ineptiis vulgi reconditos quoſdam ſenſus tribuebant, quibus quodammodo excuſarentur. Verum tamen plurimum abſuit, quominùs naturales de Deo notiones puræ, ac illibatæ apud eos ſervatæ fuerint. Alii Deum omnem negaſſe dicuntur, quod de Diagora Melio, & Theodoro Cyrenaico, affirmat Tullius. Alii Deos verbis ponebant, ſed re tollebant, quod de Epicuro, ejuſque Diſcipulis idem auctor habet. Alii Mundum ipſum, & Mundi partes Deorum loco habebant, quæ videtur Stoicorum plerorumque ſententia fuiſſe. His omnibus, parum cognita Dei natura, ejuſque perfectiones. Neque defuerunt, qui obſervata vulgarium opinionum abſurditate, & variarum ſectarum erroribus, in id extremum ſe conjecerint, ut ſtatuerent, nihil certi eſſe, ac generale de rebus omnibus, præſertim Divinis dubium foverent: quales fuiſſe Pyrhonios, & Academicos, nemo ignorat. De morum corruptione nihil dicam, cum ferè ubique ea vigeret, imo, & in ipſas notiones virtutum multi irrepſere errores, ita ut vitia pro virtutibus haberentur.

XXVIII.

Dum in tanta caligine jacebant homines, quis non videt eos indiguiſſe aliquo Doctore, ut ad viam redire poſſent, quis non intelligit, Deum ſua bonitate erga homines adductum fuiſſe ad ipſos denuo illuſtrandos excitandoſque ad virtutum exercitationem? At probare de

Deo

(*a*) Juvenal. Satyr. 15. init.

Digitized by Google

Deo Ebræi præſertim ſub Moſe ſentire cœperunt, eorum ſiquidem doctrina, quam a Viro tam eximio acceperunt, & ingenti devotionis affectu conſervarunt, unicum Deum ſtatuit; conditorem Cœli, & Terræ, qui ſemper fuit, & ſemper erit. Et is quidem Deus, quæcumque exiſtunt, maxima, minima, cœleſtia, terreſtria, animata, atque in anima ſolo imperio, ſolo verbo condidiſſe dicitur; fiat lux, dixit, & facta eſt lux: qui locus vel ipſis, Ethnicorum Rethoribus, Longino nempe, harum rerum non inepto judici, quam maximè ſublimis, & Deo dignus viſus eſt. Ut vero rerum omnium Conditor, ita, & omnium Moderator, atque Dominus in Religione Moſaica exhibetur: Potentiſſimus, quí, quæcumque lubet, in Cœlis, & Terra facit, Oculatiſſimus, qui corda, & renes ſcrutatur, qui res futuras noſcit, & prænuntiat; Sapientiſſimus, Juſtiſſimus, Sanctiſſimus, Veraciſſimus, ac ſpeciatim Optimus: quæ ómnia Dei attributa, apud Ethnicos etiam ſapientes miſerè, ut plurimum obſcurata fuerant. In Religione vero Judaica mirum in modum illuſtrantur. Rurſus Dei magnitudo in hac Judeorum doctrina verbis depingitur; dum dicitur Cœlum, & Thronus ejus, & Terra ſcabellum pedum ejus; dum dicitur Montes, & Colles ad bilancem appendere; dum dicuntur gentes omnes Terræ, ſi cum eo conferantur nihil aliud eſſe, quam velut guttula, quæ ex ſitula defluit, vel tanquam pulviſculus, qui bilanci adhæret: quæ ideæ ſanè infinitam Dei Majeſtatem, & nihilum Creaturarum graphicè deſcribunt. Porrò Judæorum Deus res humanas adtentè obſervat, & ſanctiſſimè moderatur; eſt mali oſor acerrimus, pietatem, & ſanctitatem præcipit perpetuo, atque commendat: neque ſolum ſanctitatem externam, ſed præcipue internam, animi nempe, atque adfectuum, vel ſi quem cultum externum requirit, ſemper monet cultum illum externum ſine interno inutilem eſſe. Denique ut terribilis adverſus impios, contra benigniſſimus,

ac

ac munificentiſſimus erga Pios deſcribitur, dum pollicetur ſe ipſorum Deum peculiari ratione futurum, ipſorum ſortem, ac hæreditatem, ipſorum clypeum, & mercedem magnam; ſe eos cibaturum deliciis ſuis, ſe daturum iis gratiam, & gloriam, neque quicquam boni iis negaturum &c. quæ quidem omnia ita ſunt magnifica, & cum naturalibus Dei notionibus ita aptè congruunt, ut, ſi Deus ſeſe humano generi revelare unquam voluerit, non aliam potuerit ſui ideam tradere. His accedit etiam quod hæc Judæorum doctrina ſolvit dubia momentoſiſſima, quæſtiones intricatiſſimas, ex quibus Philoſophi perſpicaciſſimi ſolius rationis auxilio, ſeſe expedire nunquam valuerunt, ſcilicet multæ apud Ethnicos erant de Mundi origine diſceptationes: alii æternum docebant, alii ex atomis conflatum: vulgus Cœlum, & Terram, non Dei opus, ſed antiquiſſimos Deorum cenſebant, & apud Philoſophos, quæſtio hæc de Mundi Ortu, incertiſſimi problematis loco habebatur: hìc Mundus a Deo conditus, quod rationi maximè conſentaneum eſt, narratur. An regeretur a Deo Orbis, an vero incerto caſu omnia fluerent, anxiè etiam diſquirebatur: hìc Dei providentia apertiſſimè traditur, & ex ipſa Orbis hiſtoria ad oculum demonſtratur. Ignorabatur cauſa mali, & graviſſimæ hoc de negotio Philoſophorum lites erant: hic hominis in peccatum lapſus, tanquam mali omnis fons, & vera cauſa exhibetur. Juſti etiam, atque injuſti fines, ita confuſi, hominum vitio, atque obſcurati erant, ut vitia pro virtutibuss, virtutes pro vitiis ſæpiſſimè haberentur. At verò in libris Judæorum, quid Deo, quid proximo, quid nobis ipſis debeamus, ſapientiſſimè docetur, quantum ſaltem per indolem Populi Judaici, & circumſtantias illorum temporum, licebit. Poſtremo quis vero ſit hominis finis, quodnam ſummum ejus bonum, magna etiam quæſtio erat, & diverſiſſimæ hoc de argumento Philoſophorum ſententiæ: hic verus hominis finis; & ſum-

ſummum ejus bonum, non alibi, quam in ſupremi Numinis benevolentia, & communione collocatur, quod etiam rectæ rationi conſentaneum eſt.

XXIX.

Duo itaque habet doctrina iſta quæ ſanè tanquam Divinam prædicant. Nam, & veritates lumine naturali quodammodo cognitas, ſed hominum vitio obſcuratas, clarius proponit, atque inculcat; ea vero, quæ ignorabantur, & cognitu neceſſaria erant, in apertam lucem producit: quæ duo in tanta hominum caligine, atque inter tot irritos Philoſophorum conatus, quis alius, quam Deus ipſe tam feliciter exequi valuit? notatu ſane digniſſimum eſt, unicum hunc Populum, Populum exiguum, Populum rudem, reliquos omnes Populos damnare, eorum Deos irridere, eorum ſacra in ludibrium vertere, & quidem optimis argumentis, atque omni exceptione majoribus. Quis tantam ſapientiam Populo cœteroquin ignariſſimo indidit? Unde Moſes, inter Ægyptios, qui bovem adorabant, educatus, tam ſublimem ideam hauſit, & Magiſtrorum ſuorum Numina tam ſapientèr irridere atque abjicere didicit? Sane hic Dei digitum, hic Divinam revelationem cœcutiet, qui non videat. Hæc eſt ſingularis planè Judaicæ doctrinæ indoles, & character verè Divinus, quod tota ad Deum tendat, Deum ubique ſpiret, Deum ubique magnifaciat, verbo, tota quanta eſt ad Dei gloriam ſit comparata, & hac quoque nota doctrina hæc a doctrinis omnibns humanis evidenter diſtinguitur. Etenim in doctrinis omnibus hominum, videas illos propriam gloriam quærere, videas illos potentium ingenio, atque moribus ea, quæ tradunt, accommodare. Atque hîc Deus unicè reſpicitur, Deus eſt omnium ſcopus, & finis, Deus omnibus intereſt, omnia videt, omnia dirigit, omnia operatur, & ad ejus unius gloriam omnia referuntur. Quod vel unum, ſi cætera deſint, Divinam hujus doctrinæ indolem, Cœleſtemque ori-

Digitized by Google

originem abundè prodit. Hinc factum eſt, ut cum reliquæ doctrinæ humanæ decurſu temporis, & brevi vigeant, nec ſemper in eadem univerſi parte, illa vero perduraverit a quamplurimis ſæculis apud Ebreum Populum, & adhuc perdurat, quoad ea, quæ eſſe debebant perpetua, & non futurorum figuræ, etiam apud alios, nempè Chriſtianos, qui per totum Orbem diffunduntur. Non homo ergo ſimplex, ſed divinitus inſpiratus illam propalavit doctrinam.

XXX.

Accedit pro Divinitate judaicæ religionis argumentum, ſapientum judicio, validiſſimum, quod ex miraculis in confirmationem doctrinæ patratis ducitur. Quot moſes prodigia coram Pharaone eum in finem edidit, quot plagis Ægyptios affecit, donec Iſraelitis abeundi copia facta eſſet, modo omnibus Ægypti aquis in ſanguinem converſis, modo tota Ægypti tellure ranis, locuſtis, aliiſque inſectis, operta, modo tenebris ſuper totam illam regionem expanſis, dum tractus ille, in quo degebant Iſraelitæ luce gauderet; modo denique omnibus Ægyptiorum primogenitis una nocte interemptis, dum interim primogenitis Iſraelitarum parceretur: Quomodo dehinc mira pompa inter fulgura, & tonitrua populoque audiente, lex a Deo promulgata ſit: Quomodo in itinere quadraginta annorum per vaſtas Arabiæ ſolitudines de cibo ex manna, & coturnicibus, de potu vero ex rupe, populo conſpectum ſit: Quomodo adverſus Moſen, ac Dei legem rebellantes, modo a terra abſorpti, modo ultricibus flammis devoti, modo anquium morſibus abſumpti, modo lepra affecti fuerint. Et hæc quidem dum viveret Moſes, ejuſque opera, geſta narrantur. Poſtmodum etiam, duce Joſua, nova prodigia edita ſunt, ut populus in terram Cananæam ſibi promiſſam introduceretur; ſciſſo Jordane, qui liberum populo tranſitum præberet: hiericuntinis muris ſolo tubarum clan-

Digitized by Google

clangore everſis. Hæc aliaque, quæ in ſacris Judæorum libris leguntur, ſunt proculdubio vera miracula. Solus autem Deus poteſt vel immediate per ſe, vel mediate per alios facultatem eis concedendo, vera miracula facere. Et cum Deus doctrinam falſam approbare nequeat: hinc ſequitur miracula nobis præſtare maximi ponderis argumentum pro veritate, & revelatione alicujus doctrinæ.

X X X I.

Adverſus miracula multis diſputat noviſſimi ſæculi Atheus, Benedictus de Spinoza, Tractatu Theologico politico, contendit nimirum, ea, quæ vocantur opera Divina ſive miracula, nihil eſſe aliud, niſi *opera, quorum cauſa ignoratur*, ſeu potiùs *quorum cauſam naturalem exemplo alterius rei ſolitæ explicare non poteſt is, qui miraculum ſcribit, aut narrat*. Idcirco quæcumque de miraculis prodita ſunt, non aliis cauſis accepta refert, præterquam vulgi ignorantiæ, ac ſuperſtitioni, necnon, & ſuperbiæ certarum gentium, Judæorum e. g., qui, ut ſe ſupra reliquas extollerent, finxerunt, Deum pro ſe ſolis operari, & in ſui gratiam naturam invertere. Quod vero nulla dari poſſint propriè dicta miracula, ſeu opera naturæ legibus ſuperiora, longa ratiociniorum, verius dicam, ſophiſmatum ſerie, demonſtrare nititur. Verum ratiocinia illa omnia, quæ tanto adparatu profert, tantiſque ambagibus involvit Spinoza Dei reverentiam, & fidem ſimulans, cum tamen plus ſatis adpareat eum non alium Deum, quam naturam ipſam agnoſcere, illa, inquam, ratiocinia partim mera vocum quarundam ambiguitate nituntur, partim id ſupponunt, quod eſt in quæſtione. Hinc nos illius ſyſtema, ut falſum, & impium merito rejicimus.

X X X I I.

Nedum dari poſſunt miracula, ſed, & a nobis cognoſci, ſecus ac ſentiunt alii incrudeli, ut nobis eripiant

piant argumentum ex miraculis. Etenim miraculum dicimus effectum aliquem verum, & realem excedentem, vires naturæ, ideſt contra leges a Deo initio creationis præſcriptas, & juxta quas perpetuo agere debent cauſæ ſecundæ. Nec officit ignorantia virium naturæ, nam ſcimus, quo ſe non extendant, uti ad reſuſcitandum mortuum. Prædictio, probitas auctoris, & ſanctitas doctrinæ poſſunt nos quoque certos reddere de miraculo abſque eo quod committamus circulum vitioſum inter veritatem miraculi, & illam doctrinæ, quia hic loquimur de veritate miraculi ad probandam divinitatem, & non veritatem doctrinæ, quæ poteſt aliunde, quam ex miraculis conſtare, & doctrina aliqua poteſt eſſe vera, & ſi non Divina.

XXXIII.

Admiſſa poſſibilitate, & exiſtentia miraculorum, exiſtimant nonnulli, ea diabolo, ejuſque miniſtris Magis eſſe adſcribenda. Sed nulla ratione adducti nebulonibus illis, vel diabolo eorum magiſtro opera longe maxima, imo plane divina tribuunt. Quid enim majus, atque divinius, quam corpora organica exquiſitiſſimi artificii, qualia ſunt corpora animantium, ſerpentum puta, atque ranarum, ſubito, nulla mora, ſolo verbo, ſolo juſſu, condere? inter opera creationis, quæ Deum auctorem clariſſimè demonſtrant, eminet ſapientum omnium judicio, pulcherrima illa, neque ſatis unquam admiranda, animantium fabrica. Videatur inter Ethnicos ipſos, quam vividè, & copioſe argumentum illud urgeat Cicero libro 2. de Natura Deorum; & inter recentiſſimos exiſtentiæ Dei defenſores, quanta demonſtrationum vi, atque pondere illud exornet Ray, Derham, Nievventyt, aliique. Quid igitur? An ſplendidiſſimum illud divinitatis indicium, cum impudentiſſimis Dei adverſariis, ſceleſtiſſimoque illorum capite diabolo, communicabimus? quis credat Deum optimum maximum gloriæ ſuæ

Zelo-

Digitized by Google

Zelotypum, tantam efficaciam tantam gloriam inimicis ſuis tribuiſſe, qua, vel argumentum illud divinitatis evaneſceret, vel diabolus, ejuſque Mancipia iu Numina ſe convertereut, ut mendacia confirmarent, vel ſaltem ſuſdeque verterent totam hujus univerſi pulcherrimam machinam etiam ad juſtos Dei ſervos exagitandos?

XXXIV.

Cum aditus occluſus ſit tot incredulorum effugiis, ipſi in deſperationem adducti negant prodigia illa reapſe contigiſſe. Verum, ut negaretur veritas hujus hiſtoriæ; iſtorumque prodigiorum, unum ex his quatuor dicendum eſſet; vel auctores illos, & præſertim Moſen nunquam extitiſſe, ac proinde, quæcumque de eo narrantur meras fabulas eſſe, vel extitiſſe quidem, ſed nihil aliud, quam impoſtorem fuiſſe, qui populum fictis prodigiis fefellerit, àtque illa arte ſibi ſubjecerit; vel impoſturam illam omnem, populo conſcio, atque adjutore fabricatam eſſe; vel denique hanc omnem hiſtoriam longe poſt auctores conſcriptam eſſe, adeoque falſa innumera admiſceri potuiſſe, qualia ſunt e. g., quæ de hiſce prodigiis narrantur. Et eæ quidem ſunt quatuor hypotheſes, quæ ad neganda prædictorum, ſed præcipue Moſis miracula ab incredulis proferri poſſunt. At vero nullam earum, cum tantilla veri ſpecie defendi poſſe, evidenter demonſtramus.

XXXV.

Huc uſque dicta in tuto ponunt omni ex parte veritatem miraculorum librorum ebraicorum. Sed ad horum divinitatem probandam faciunt, quam maximè, & veluti primo loco prophetiæ, ſeu futurorum prædictiones. Etenim res futuræ, ſaltem certi cujuſdam generis, atque in certis circumſtantiis, nonniſi ab ente omni ſcio, & rerum omnium moderatore, ideſt a Deo prænoſci poſſunt. Verum, ut valeat argumentum, quod ex prophetiis ducitur, tria conſtare neceſſe eſt. Primo prophe-

Digitized by Google

phetias illas ante eventum prolatas eſſe; Secundo eventum cum iis recte conſentire, eaſque adimplere; Tertio, illas de iis rebus agere, quæ humana arte ac ſagacitate prænoſci non potuerint. Si aliquid ex hiſce deficiat, argumentum ex prophetiis ductum non ſtringit; ſi adſint, non poteſt non validiſſimum eſſe. Sunt etiam, & aliæ circumſtantiæ, quæ prophetias illuſtriores, ac validiores efficiunt, ſcilicet quo prophetiæ antiquiores ſunt eventu; quo plures res prædictæ ſunt, quo pluribus cum circumſtantiis, quo res prædictæ ſunt magis ſingulares, magis raræ, minus vero ſimiles, imprimis vero quo res prædictæ ab arbitrio humano magis pendent, eo etiam prophetias illas præſtantiores eſſe, & Dei digitum clariùs monſtrare nemo non videt.

XXXVI.

Ejuſmodi ſunt prophetiæ editæ in confirmationem, doctrinæ librorum judaicorum. Et primum exemplum, nobis ſuppeditant ea Moſis loca, quibus Judaicæ gentis infortunia, atque excidia comminando prænuntiat, imprimis Levit. 25., & deut. 28. His in locis, variæ comminationes adcumulantur, atque miſcentur, & eæquidem præ cæteris. Dicitur primo Iſraelitas extra patriam deportatum iri; Secundo id factum iri a gente quadam remota, cujus linguam non intelligent; Tertio habituros regem, quo tempore ſic transferentur, regemque una cum ipſis translatum iri; Qnarto Urbes ipſorum obſidione cingendas, muroſque cum fortalitiis omnibus evertendos; Quinto deſolatum iri Urbes, & ſanctuaria; Sexto horrendam famem futuram, & quidem tempore obſidionis, eo uſque, ut parentes ad liberorum carnem comedendam adigantur; Septimo tellurem incultam manſuram per Sabbatha ſua; Octavo Judæos diſperſos fore per omnes gentes; Nono Ludibrio habitum iri ab iis gentibus, apud quas vivent; Decimo nullam quietem habituros; Undecimo ſemper trepidaturos; Duodecimo vitam

tam

Digitized by Google

tam eorum ſemper quaſi ſuſpenſam fore; Decimotertio. Poſt ea omnia, multos ex ipſis pœnitentiam acturos, & peccata confeſſuros; Decimoquarto, Deum fœderis ſui recordaturum, iiſque opem laturum. Sed quam apta, & adcurata harum omnium impletio viſa ſit, tum in deportatione decem tribuum in Aſsyria, quæ accidit 800. poſt Moſem annis, tum in captivitate Babylonica, quæ pluſquam 900. annis Moſe poſterior fuit, tum in ultimo Hyeroſolimorum excidio, quod nonniſi 1600. poſt Moſem annis contigit, vel ſola collatio hiſtoriæ cum his vaticiniis docere poteſt.

XXXVII.

Alterum exemplum nobis præbet mirabilis illa Eſaiæ prædictio de Cyro cap. XLIV. Quem nomine ipſo appellat, ejus victorias exponit, ab eoque Hieroſolymam, gentemque Judaicam, reſtitutum iri, prænuntiat. Ego ſum, qui dico Hieroſolymæ, abitaberis, & Civitatibus Judæ edificabimini, & loca ejus deſerta reſtituam; Qui dico Cyro Paſtor meus es; & omne beneplacitum meum implebitur: qui dico Hieroſolymæ, edificaberis, & templo fundaberis cap. XLIV. ℣. 26. 28. Et rurſus cap. XLV. I. Sic ait Jehova uncto meo Cyro, cujus dexteram apprehendam, ut ſternam coram eo gentes, & lumbos regum diſſolvam. Et hæc quidem ab Eſaia prænuntiabantur, ducentis annis, imo certè ampliùs, antequam Cyrus exiſteret, qui revera poſt multas victorias, expugnata Babylone, Judæis exſulibus, in patriam redeundi, & Templum Hieroſolymitanum inſtaurandi, poteſtatem fecit. Egregium ſane oraculum, & quod, ſi aliud ullum, vim divinam manifeſto prodit! quis enim capiat humana ulla ſagacitate, ullo caſu, vel conjectura ipſum Principis cujuſdam nomen, & patientiam, & res geſtas, & propenſum ad Judæos animum, & promulgandum in eorum gratiam edictum, ducentis antè eventum annis prædici? Unde obſervat Joſephus, Cyrum ipſum lectis Eſaiæ vati-

D tici-

Digitized by Google

ticiniis, viſoque hoc oraculo, rei divinitatem miratum eſſe, & ad ea implenda, quæ de ſe prædicta fuerant, animum adjeciſſe, quod etiam edito ſuo proemio teſtatum fecit.

XXXVIII.

Tertium exemplum nobis erunt præclaræ illæ Danielis Prophetiæ de quatuor monarchiis, & ſpeciatim de Alexandro Magno, & ſucceſſoribus, ſeleucidis, lagidis. De his multa jam habet Daniel cap. XI. in expoſitione ſtatuæ Nebucadneſſare in ſomniis viſæ necnon, & cap. VII. ſub Emblemate quatuor beſtiarum, Leonis, Urſi, Pardi, & beſtiæ decem cornibus inſtructæ, item cap. VIII. ſub Emblemate Arietis, & Hirci. Verum plenior, & accuratior horum omnium deſcriptio legitur cap. XI., quo, poſt nonnulla de perſarum regibus poſt Cyrum, imprimis verò de Xerxe, omnium potentiſſimo, & græciæ moleſtiſſimo, imperium Alexandri Magni, diviſio illius inter quatuor ejus duces, res ſeleucidarum Syriæ, & Ptolomeorum Egypti regum, eorum bella, fœdera, Matrimonia, exitus &c. uſque ad Antiocum Epiphanem, hoc eſt, per ſpatium quadrigentorum circiter annorum indè a tempore, quo prophetabat Daniel, ita graphicè deſcribuntur, minimis etiam circumſtantiis notatis, ut his lectis, non Prophetia, ſed hiſtoria legi videatur.

XXXIX.

Hæ prophetiæ ſatis videntur ad probandam veritatem, ſanctitatem, & divinitatem Judaicæ doctrinę in eorum libris contentę, quos vetus teſtamentum appellamus. Illa tamen non plena eſt, ſed quodammodo imperfecta apparet; quod ſane magis declarat divinam originem. Deus ſiquidem ruditati priſcorum hominum ſe ſe primum accommodare voluit, & quidem uni populo, atque aliquid tantummodo dedit craſſo ingenio aſperiiſque moribus populi durę cervicis. Hinc multa iis obſcura, nec niſi parce revelata. Hinc tot leges de ritibus parum in ſe pre-

tii

Digitized by Google

tii habentibus. Hinc tot mandata in ſpeciem dura, & cum charitatis ingenio pugnare viſa. Hinc rara, & obſcura vitę futurę commemoratio. Hinc denique non ſatis cognita quędam vitę officia, imo, & nevos quoſdam ob duritiem cordis ipſorum toleratos fuiſſe, nemo ignorat. Sic Matrimonii puritas, ex Polygamia, & divortio; charitatis pręcepta, ex mandato de delendis Chananęis, ex ſanguinis vindicta, ex lege Talionis, aliiſque id genus, quadatenus obſcurabatur. Uno verbo, quę Judaicam religionem conſtituebant, ea proculdubio ruditati illius populi, tanquam elementa, quę infantibus traduntur conceſſa fuere.

X L.

Dum in hac media luce verſabantur Judæi, tandem aliquando faventibus temporis circumſtantiis pleniorem clementiſſimus Deus hominibus univerſis notitiam ſui, & propriorum officiorum concedere dignatus eſt. Miſit enim Jeſum Nazarenum, in cujus documentis tanta excellentia, præſtantia tanta invenitur, ut illis ſepoſitis non lævia contra Dei ſapientiam, æquitatem, bonitatem, cæteraſque virtutes naſcuntur dubia, quæ ſolvi minime poſſunt; at ſi admoveatur illius Evangelii lumen, dubia illa facile ſolvuntur. Hic habetur clavis Judaiſmi, ſi ita loqui liceat. Hic habetur explanatio obſcurorum, ſolutio dubiorum, complementum imperfectorum. Scimus cauſam, & myſterium rituum legalium; Scimus fuiſſe puerilis ætatis rudimenta; Scimus fuiſſe umbras rerum futurarum, quarum Corpus in Chriſto eſt; habemus jam pleniorem, ac robuſtiorem ſapientiam, ſapientiam inter adultos, aut perfectos, quæ in rudis illius diſpenſationis locum ſucceſſit. Si ſeponas Chriſti doctrinam, vix capias, qui fiat, ut Deus, Gentium omnium ex æquo parens, unam ſibi gentem adſumpſerit, cæteris omnibus quaſi poſthabitis, ac derelictis: Verum, accedente Evangelii luce, dubium illud ſpontè evaneſcit, tollitur

Digitized by Google

omnis gentium diſtinctio ; diruitur paries intergerinus ; Deus optimus maximus non Judæorum modo, ſed gentium omnium parentem ſe præſtat.

X L I.

Ex deſcripta indole doctrinæ Chriſti luculenter apparet illius Divinitas. Attamen voluit Deus, ſicut olim Judaicam Religionem ita, & Chriſtianam, factis quibuſdam inſignibus, Miraculis nempe, & Prophetiis tanquam ſuis ſigillis confirmari ; Et ut ex miraculis exordiamur opere pretium eſt Chriſti, & ſuorum miniſtrorum, nempe Apoſtolorum prodigia, quæ in Tabulis Evangelicis ſcripta extant, breviter commemorare. Certè inſignia hìc occurrunt, & ingenti numero, & diverſi quidem generis prodigia : tum in Chriſti Baptiſmo, quo Cœli aperti, Spiritus Sanctus viſibili ſpecie ſuper eum deſcendens, voxque Dei e Cœlo audita eſt, qua ipſum eſſe Filium ſuum dilectum, proclamabat. Tum in ejus vita, & miniſterio ; dum ſcilicet morbos omnis generis ſola voce ſanaret ; cæcis lumina, ſurdis auditum, mutis loquelam, claudis greſſum, Paraliticis vires, ægris, & languentibus nullius non ordinis ſanitatem reſtitueret, mari, & ventis imperaret ; augeret, ſtupendum in modum, panes, & piſciculos, quibus plura hominum millia reficerentur; ejiceret Dœmonia, cogitationes inſpiceret, idque omnium maximum, mortuos in hanc vitæ lucem revocaret: Tum ſpeciatim in ejus Reſurrectione, quæ longè maximum, ac illuſtriſſimum ejus perſonæ, atque doctrinæ Teſtimonium perhibuit.

X L I I.

Hæc porro Chriſti prodigia cum in aperta luce ponant divinitatem Chriſtianæ Religionis, mirum profecto videri non debet, ſi ſceleſtiſſimi quidam homines, illa contigiſſe negarunt. Sed garriant ipſi quandiù volent, nos certè nugas illorum minimè reformidamus. Etenim ſi ſcriptores hujus hiſtoriæ vera non retuliſſent id ortum du-

ducere debuit, vel ab ignorantia, vel a deceptione aliqua, vel a malitia. Non autem ab ignorantia, nam primo agitur de rebus ſui temporis, ac ſuæ Gentis, quibus ipſi interfuerunt, quarum fuerant Teſtes oculati. *Quod erat ab initio*, inquit Joannes in primæ Epiſtolæ limine, *quod vidimus*, *quod propriis oculis uſurpavimus*, *quod ſpectavimus*, *quod manus noſtræ contrectarunt*, *illud eſt*, *quod nuntiamus*. Secundo agitur de factis claris, & publicis, cognitu facilibus, & quorum veritas, vel falſitas ab hiſce ſcriptoribus ignorari minimè poterat. Quid enim? num ignorare poterant, an homo ipſis intime notus, quocum verſati pluſquam tres annos fuerant, hæc vel illa opera, ſe Teſtibus, ac inſpectoribus, publicè edidiſſet, an morbos varii generis ſolo verbo, ſolo tactu, in omnium conſpectu ſanaſſet? an, ipſis videntibus, atque ſtupentibus, tempeſtatem ſedaſſet? Certè Chriſti prodigia ejus erant generis, ut ab iis, qui aderant, ignorari minime poſſent. Non a deceptione aliqua, nam agitur de factis quam plurimis, & quidem publicis, & clariſſimis, quibus, ut diximus interfuerunt. Adeoque propter ocularem rerum inſpectionem decipi ab aliis non poterant; nec tam rudes erant, quemadmodum ex eorum ſcriptis conſtat, ut non valuiſſent in tot tantiſque caſibus detegere veritatem, vel olfacere aliorum fraudem. Quod ſi dicas, deceptos eſſe ab eorum corrupta imaginatione; aſſeritur profecto, quod repugnat apertæ veritati: nam, ex ipſa perfunctoria lectione ſcripturarum deprehenditur, illos non æſtro aliquo, aut vanis ſomniis laboraſſe, ſed ſanæ mentis fuiſſe. Non a malitia tandem, & quidem ex pluribus capitibus. Primo ex eorum conditione; erant enim omnes viri admodum pii, & ſancti; atque ita alieni a meritis propriis celebrandis, ut veriti non ſint ſuorum errata, & peccata manifeſto confiteri; quod patet præſertim de Paulo. Item plurimi inter eos, uti Apoſtoli, fuerunt Plebei, Piſcatores, manuum labore victum

quærentes, qui etiam ſi voluiſſent, non valuiſſent tot impoſturas componere, quæ ſaltem non tam facilè detegerentur. Secundo ex fine, qui nullus eſſe potuit, nam miraculis illis confirmabatur doctrina, quæ eis non divitias, non honores, non ſentiendi, & vivendi licentiam concedebat, ſed contra paupertatem potius, determinatam credendi facultatem, ſenſuum temperantiam, ærumnas, probra, tormenta, & mortem ipſam proponebat. Tertio ex circumſtantiis loci, & temporis, referuntur enim miracula haud quaquam multo ante patrata, & in abſcondito, ſed ab ipſis Auctoribus, & publicè coram multitudine etiam inimicorum, quorum reprehenſionèm timere debuiſſent, ſi vel patrata non fuiſſent, vel non eo, quo deſcribuntur modo.

XLIII.

Sed ut incredulis ſubterfugium omne tollatur omnino, hoc modo etiam prodigiorum hiſtoriam in tuto ponendam adgredimur, ſcilicet, ut hæc negaretur unum ex his dicendum eſſet; Vel quod tota Chriſti, & Apoſtolorum hiſtoria nihil aliud ſit, quam mera Fabula longo poſt tempore excogitata; Vel quod extiterit revera Chriſtus, & ſe Meſſiam dixerit, & ea miracula venditaverit, quæ in Evangeliis narrantur, ſed (abſit blaſphemia) quod merus impoſtor fuerit, qui Apoſtolos cæteroſque Diſcipulos ſuos fefellèrit; Vel quod quidam ex Apoſtolis Chriſti totam hanc fabulam fabricaverint, & reliquos fefellerint; Vel quod Apoſtoli omnes fraudis illius conſcii fuerint, eamque communibus ſtudiis promoverint; neque aliud ſint Chriſti Miracula, & Reſurrectio præter commentum ab iis excogitatum; Vel, quod miracula omnia a novi Teſtamenti libris initio abfuerint, nec niſi poſt ætatem Apoſtolorum in eos inſerta ſint; Vel denique, quod hæc omnis Chriſti, & Apoſtolorum hiſtoria non ſimul ac ſemel, & ab iiſdem libris, ſed variis gradibus, & progreſſu temporis fabricata ſit; eodem modo,

dò, quo fabulæ non paucæ ex meris vulgi rumoribus quotidie fabricantur, atque augentur, quorum diverſi atque incerti plerumque auctores ſunt. Et hæ quidem ſunt hypoteſes omnes, quas fingere hanc in materiam incredulitas poteſt. Sed eas omnes, quantæ, quantæ ſunt, abſurdiſſimas eſſe, neque a veritate modo, ſed ab omni veri ſpecie alieniſſimas, evidenter a nobis demonſtrabitur. Sed omiſſis omnibus hujuſmodi miraculis poterunt nè adverſarii inficiari illud maximum, quod ſine miraculis recepta fuerit Chriſti doctrina ubique, & ab omnibus Orbis Nationibus, cujuſcumque conditionis hominibus contra corruptos humanos mores, contra Regum vim, & Philoſophorum argumenta?

X L I V.

Rejectis itaque variis incredulorum hypoteſibus circa hiſtoriam prodigiorum Chriſti illud nunc reliquum eſt, ut Chriſti, & ſuorum Apoſtolorum Prophetias in medium adducamus, quibus Divinitas Chriſtianæ Religionis in aperta luce ponitur, & collocatur. Inter varias Chriſti Prophetias nullæ illuſtriores occurrunt, nullæ tam ab eventu tam luculentèr confirmatæ, quam eæ, quas de Judaicæ Gentis excidio, & Hieroſolymorum ac Templi everſione, protulit Chriſtus, quæque potiſſimum Matthæi 24, Marci 13, Lucæ 19, & 21 occurrunt, quibus, & adjungenda alia loca, ſpeciatim vero quædam Parabolæ, quibus eædem prædictiones confirmantur. Has igitur Chriſti Prophetias præ cæteris eligimus, utpote quæ luculentiſſimam veritatis Evangelicæ demonſtrationem efficiunt: nam profecto nihil evidentius demonſtrare poteſt, vim Divinam in Chriſto fuiſſe, quam cum videmus, quadraginta plus minus annis ante excidium Hieroſolymitanum, totam illam cladem ita adcuratè ab ipſo prædictam, ut non tam Prophetia, quam hiſtoria legi videatur. Imo vero non ſine Numine factum putamus, ut hiſtoria cladis illius ab homine Judæo,

Digitized by Google

& eo quidem magni nominis, exarata extet; a Flavio Joſepho nimirum oculato Teſte, & cujus non ignobiles in hoc bello partes fuerunt: quæ hiſtoria proinde haud quaquam ſuſpecta eſſe poteſt; ſed, & cum Chriſti vaticiniis adamuſſim ita convenit, ut ad eorum veritatem demonſtrandam data opera ſcripta videatur. Plures etiam Apoſtoli edidere Prophetias, uti Paulus cap.4 ad Timoth. præſignavit Hæreticos, qui reſpuere debebant Matrimonium; & cap. 2. ad Theſſal. docetur, vicinum non eſſe, uti poſtea eventu comprobatum eſt, ultimum Chriſti adventum, cujus præcedentia ſigna ſingillatim deſcribuntur.

X L V.

Chriſtiana Religio nedum agnoſcit pro Divina ſuam doctrinam, ſed etiam eam divinitus ſcriptam in libris, qui appellantur Veteris, & Novi Teſtamenti. Et quidem jure optimo, nam ſi Deus dignatus eſt, homines illuſtrare vera, & ſupernaturali doctrina, debuit, ut ſuum finem aſſequeretur, efficere, ut promulgatores non errarent cum in docendo, tum in ſcribendo, imo potiori ratione in ſcribendo, cum libri inſervire deberent futuris Chriſtianis. Et hinc colligimus, quod Deus curavit ne laudati libri decurſu temporis corrumperentur. Præterquamquod credibile nunquam eſt, Chriſtianos ipſos, vel Judæos voluiſſe intentare corruptionem librorum, ut ſibi poſteriſque ſuis occultarent cœleſtem doctrinam, a qua dependebat animæ ſalus. Si autem exteri id præſtaſſent, & tumultus excitati fuiſſent, nec unquam id factum fuiſſet in omnibus exemplaribus.

X L V I.

Tuto igitur ex libris Sacræ Scripturæ deducere poſſumus veram Dei, & noſtrorum officiorum notitiam, quæ plenior eſt illa quam accipere poſſumus ex nuda naturali ratione. Et ad praxim quod attinet, ad quam tendunt, uti alibi diximus, cognitiones Theologicæ, hæ præcipuæ ſunt, ut veneremur ipſum Chriſtum, qui exti-

tit

Digitized by Google

tit Auctor veræ vitæ, & ei gratias agamus maximas propter inſtituta Sacramenta, quibus confert nobis auxilia ſpiritualia, & ipſam ſanctificationem. Si nos ipſos ſpectemus, curare debemus, ne dum verbis, & factis mundos eſſe, ſed etiam cogitationibus. Erga alios vero tenemur ſtrictiori modo ſervare Præcepta charitatis, imo, & diligere inimicos.

XLVII.

Ut autem hæc, & ſimilia, ideſt Chriſtianam doctrinam, ex Sacra Scriptura eruamus, non tam facile eſt; nam non omnia in ipſa clara ſunt, ſed quamplurima obſcura, & ità quidem, ut David, licet Propheta, Pſalmo 119 Propter obſcuritatem ſcripturę ſic Dominum orabat: *Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam. Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua.* Philippus Eunucus Reginæ Candacis tam religioſus, ut relicta Regia Aula, de extremis Orbis partibus venerit ad templum, tamque Divinæ legis amator, ut etiam in curru ſacras litteras legeret, fatetur tamen ſuam ignorantiam: *Quomodo*, inquit Actor. cap. 8, *poſſum intelligere, niſi quis oſtenderit mihi?* Apoſtoli ipſi quibuſcum converſatus fuerat per triennium Chriſtus, quoſque continuo docuerat: *Nondum ſciebant Scripturam, quia oportebat eum a mortuis reſurgere* Joan. cap. 20, & opus habuerunt, quod Chriſtus illis aperiret ſenſum, *ut intelligerent ſcriptaras, & incipiens a Moſe, & Prophetis interpretaretur in omnibus ſcripturis, quæ de ipſo erant.* Joan. 20, & Lucæ cap. 29. Nec ſublata eſt omnis Scripturæ obſcuritas Apoſtolorum ſcriptis. Petrus enim Epiſt. 2 cap. ultimo teſtatur *in Pauli Epiſtolis quædam eſſe difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles depravant, ſicut, & cæteras ad ſuam ipſorum deperditionem.* Viri ſanctiſſimi, & doctiſſimi, præſertim Auguſtinus, Hieronymus, Baſilius, & Gregorius Nazianzenus poſt tot, quæ exhantlarunt ſtudia, vigilias, & labores, ingenuè faſſi ſunt ſa-

cros

Digitized by Google

cros libros *nimlis obſcuritatibus involutos eſſe*, *opus eſſe Magiſtro ad illorum intelligentiam*, *& ſe multo plura in Sacris Scripturis neſcire*, *quam ſcire*.

XLVIII.

Hæretici, cognita Sacrarum Scripturarum obſcuritate, ut impietati indulgerent ſuæ, varia ediderunt ſyſtemata, quæ ſapientum judicio, non ſtultitiam modo, ſed impietatem quoque aperta fronte ſpirant. Accedamus tantiſper ad Remonſtrantium Caſtra, obſervabimus, eos in id potiſſimum incumbere, ut oſtenderent Sacram Scripturam in articulis neceſſariis, & fundamentalibus perſpicuam eſſe. Sed ſimul ac tam novum hoc doctrinæ genus diſcutiendum adgredimur, ſtatim illos turpiſſimè falli, fateri debemus. Nam hæc ipſa diſtinctio articulorum fundamentalium a non fundamentalibus eſt fundamentalis, & tamen clarè non extat in ſcripturis, quia Textus Pauli Epiſt. 1 ad Corinth. cap. 3, in quo fundatur, eſt omnium obſcuriſſimus, cum etiam per adverſarios innumeras patiatur interprætationes. Deinde fatentur ipſi, clarè ex Scripturis deduci non poſſe, an Chriſtus ſit verus Deus, & an Chriſti Corpus realiter exiſtat in Euchariſtia, vel tantum metaphoricè: & tamen juxta eorum principia ii duo articuli cenſendi ſunt neceſſarii, & fundamentales. Etenim ſi quis crederet, Chriſtum eſſe verum Deum, & Corpus Chriſti realiter reperiri in hoſtia, deberet ei exhibere religioſum Latriæ cultum, Cœli Deo debitum, ac proinde ſi per impoſſibile aliter ſe haberet, committeret actum Idololatriæ, ſeu ejus praxis foret damnanda. Item non negant adverſarii Prophetias eſſe obſcuriſſimas, quarum tamen intelligentia fundamentalis reputanda eſt, quia ex earum præſertim impletióne dependet fundamentum Chriſtianæ Religionis, quod nempe Jeſus Nazarenus ſit revera ille Meſſias in veteri lege promiſſus. Imo ex eo colligimus, Divinitatem librorum propheticorum, quia Prophetia vera,

ra, ſeu eventu comprobata, nonniſi a Deo proficiſci poteſt; item, & illa librorum novi Teſtamenti cum conſcripti ſint a Diſcipulis Meſſiæ, in quo adimpletæ ſunt Prophetiæ.

X L I X.

Sed relictis Remonſtrantium Caſtris, ad illa nunc veniamus alterius furfuris hæreticorum, & ſtatim ab illis audiemus genuinum, ac germanum ſcripturæ ſenſum iis omnibus conſtare, qui dum pio devotoque animo ad ſacram ſcripturam accedunt, ſpiritum Dei, qui piis omnibus præſto eſt, conſulunt. At non poſſumus non fateri eos quam maximè hallucinari. Undenam quæſo deducitur ab iis, dari unicuique hujuſmodi ſpiritum divinum internum, qui germanum ſcripturæ ſenſum unicuique exhibeat, niſi ex ſcriptura obſcura? nam præcipuus locus, qui affertur eſt ille ad hebræos cap. 8., ubi legitur: *Teſtimonium novum non ſecundum Teſtimonium, quod feci Patribus. Quia hoc eſt Teſtimonium dicit Dominus: Dabo leges meas in mente eorum, & in corde eorum ſcribam eas*. Hæc ſane verba intelligi poſſunt ex una parte de legibus ceremonialibus, & præmiis terrenis veteris teſtamenti; ex altera vero de præceptis, & donis novi teſtamenti, quæ ſpectant animam: vel etiam de miraculis, & beneficiis, quibus Chriſtus ſuam legem vividius impreſſit hominum menti, eoſque ad eam fortiùs traxit. Unde requiritur alius ſpiritus, quo intelligamus ſcripturæ locum, ex quo ipſe colligitur; ac proinde præſupponi prius debet id, quod eſt oſtendendum, & hoc vocatur petitio principii. Deinde ſi daretur hujuſmodi ſpiritus divinus, eum ſine dubio habuiſſent viri ſanctiſſimi: At vidimus ſupra, Davidem, Apoſtolos ante Chriſti aſcenſionem, & præcipuos Eccleſiæ Patres poſt maximos labores teſtatos eſſe ſcripturarum obſcuritatem. Et tandem cum in expoſitione ſcripturarum catholici non conveniant cum hæreticis, nec hæretici inter ſe, neceſſe eſt

eſt dicamus, vel ſpiritum Dei eſſe ſibimetipſi contrarium, quod blaſphemum, vel quoſdam illos latere, alios non. At unuſquiſque gloriatur, eum apud ſe eſſe: ergo quiſnam èrit litis definiendæ judex? alius Dei ſpiritus admitti nequit, quia de hoc etiam lis moveri poteſt, & ita in infinitum.

L.

Eamus modo ad illa Enthuſiaſtarum; ſeu Libertinorum, & illicò cognoſcimus, eos recurrere ad quoddam verbum divinum internum ſeu inſpirationem. Sed ſimul ac nos hoc hæreticorum deliramentum examinandum adgredimur, fieri nequit quin ſtatim illud refellamus. Undenam quæſo deduci poteſt, reapſe dari illud verbum, ſeu inſpirationem internam? non ex divinis ſcripturis. Nam ille locus epiſt. ad hæbr., qui præcipuè ab ipſis adducitur, non demonſtrat quod ipſi volunt. Deinde opinio illa ſummè periculoſa eſt, quia quæcumque deliramenta, vel ſaltem vividæ imaginationes ſumi poſſunt ab aliquo pro inſpiratione, cum per ipſos ea explorari nequeat regula ſcripturæ: ac proindè induceretur varietas religionis, cum variæ ſint imaginationes etiam ejuſdem hominis diverſis temporibus: unde per conſequens omnis, & in moribus libertas. Invicta certè habentur argumenta, quæ hoc hæreticorum deliramentum evertunt omninò, ſed neceſſe non eſt, ut illa nunc adducamus, cum ſatis ſua ſe futilitate refellat.

L I.

At exinde, quod ſacræ ſcripturæ ſunt ita obſcuræ deducet fortaſſe quiſpiam, de genuino, germanoque illarum ſenſu eſſe omnino deſperandum. Verum ſi ad firmiſſima Catholicæ Religionis fundamenta oculos vertamus, illicò apparet, quam inepta, quam deridicula ſit hæc objectio. Apoſtoli ſiquidem multoties teſtati ſunt, præter verbum Dei ſcriptum dari etiam verbum Dei traditum (quod, ut nos hic defendimus, eſt ejuſdem neceſſi-

Digitized by Google

ceſſitatis, & auctoritatis, ac ſunt ſcripturæ ipſæ). Et ſane D. Paulus prima ad Tim. cap. 6., & 2. cap. 1. 2., & 3. commendat ſervari depoſitum, quod ille ab ipſo acceperat, ideſt, doctrinam, quam nullibi ſcripſerat. Et ad Teſſal. 2. cap. 2. inculcat tenere doctrinam, quam tradiderat ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam. Jacobus etiam Epiſtolis 2. & 3. teſtatur ſe habere plura, nolle tamen ſcribere, ſed communicare ore ad os, quod certe eum præſtitiſſe non eſt dubitandum. His accedit, quod Apoſtoli, ut plurimum data occaſione ſcripſerunt, non jam, vel ut articulorum catalogum perficerent, vel ut doctrinæ corpus complerent. Johannes ultimus ſcriptor fuit, at ille (Hieronymo Teſte) ſuum non ſcripſiſſet Evangelium, niſi ab Aſiæ Præſulibus rogatus fuiſſet, ut Ebionitarum hæreſim contra Chriſti divinitatem everteret. Idem dicendum de aliis Evangeliis, & potiſſimum Apoſtolorum Epiſtolis ad varios pro rei oportunitate ſcriptis. Cum itaque de hujuſmodi traditionum exiſtentia nullus ſit dubitandi locus, unuſquiſque nunc fateri debet, in his traditionibus plura etiam neceſſario inveniri, quæ obſcurè admodùm in ſacris literis expreſſa fuere: Quandoquidem, qui eloquia divina quotidie ab Apoſtolis addiſcebant, ii utique de genuino germanoque illorum ſenſu non mediocriter ſolliciti erant: Apoſtoli propterea, qui induſtriæ laborique haud parcere conſueverunt, iis ſaltem, quibus Eccleſiæ regimen, animarum cura, aliaque id genus demandanda erant, omnia proculdubio communicarunt, & explanarunt.

I. I I.

Num Apoſtoli omnia neceſſaria ſcripſerint, vel quædam ſola voce docuerint, eſt de facto aliquo præterito, & antiqua facta Veterum Teſtimonio cognoſcuntur. At Veteres omnes, ac ferè Apoſtolis coævi teſtantur, eos voce ſola quoſdam articulos etiam neceſſarios tradidiſſe: nam Ignatius, Papias, Polycarpus primo ſæculo; Irenæus ſe-

ſecundo; Clemens Alexandrinus, Origenes, Tetullianus, Cyprianus tertio; Euſebius Cæſarienſis; Athanaſius quarto; Alii ſequentibus ſæculis docuerunt, *Hæreſes confutandas eſſe traditione, in hæreſes incidiſſe traditionem relinquentes, traditionem eſſe tutam fidei regulam, in traditione contineri plura præcepta, & doctrinæ Chriſti capita, necnon dogmata*, ſingillatim etiam memorantur ab ipſis. Et ſi aliquando Patres aliter ſentire videantur, ita ut inutilem exiſtiment traditionem, eamque rejiciant, & reprobent, intelligendi ſunt de traditione humana, qualis erat illa Phariſæorum in veteri lege, vel de abuſu veræ traditionis, vel de traditione in caſu, quo Scripturæ ſatis claræ ſunt, vel de traditione in rebus adiaphoris. Nec huic univerſali, & perpetuo veterum conſenſui officere poteſt quorumdam antiquorum hæreticorum opinio contra traditionem. Etenim paucorum contraditio contra multitudinem non reddit factum incertum; tunc maxime, cum illorum auctoritas ſuſpecta ſit, uti in caſu; illi enim traditionem inficiabantur, ut ſuos defenderent errores, quod conſtat ex Irenæo. Pari etiam modo Marcionitæ, aliique hæretici olim negarunt quoſdam libros Scripturæ, vel eos corruptos eſſe aſſerverunt, ut in tuto ponerent ſuas hæreſes, & tamen adverſarii illos eoſdem libros non reſpuunt.

LIII.

Fieri adhuc poſſet difficultas, quæ ſanè fieri ſolet ab hæreticis, quod nempe a Catholicis adſtruitur Verbum non ſcriptum ad nos pervenire nunquam potuerit. At advertant quæſo ipſos evertere notitias omnes præteritarum rerum, ſi ſcriptæ non ſint ab ipſis Auctoribus. Eæ enim habentur ex orali traditione, vel operibus Auctorum ſequentium Ætatum. Hæc duo ſunt fontes cujuſcumque hiſtoriæ. Vetuſtus itaque ille ac venerabilis Chriſtianorum coetus inter media, quæ traditiones Divinas ſervarunt, locum, & ſanè principem ſibi vindicat. Nam

ſi exi-

ſi exiſtit quædam doctrina non ſcripta, uti poſuimus certis argumentis, hæc majori cura, quam res prophanæ, quæ ad animæ ſalutem non pertinent, fuit ſervata. At ulterius pars dictæ doctrinæ excedit captum humanum, vel ſaltem complectitur ea, quæ unicè dependebant a libera Dei voluntate; uti Chriſtum natum ex Virgine opera Sancti Spiritus, reſurrexiſſe, & ſimilia, quæ Chriſto coætanei ſcire poterant non naturali ratione, ſed propriis oculis, vel ex miraculis, Prophetiis, aliiſque characteribus divinis; nos vero ſeri Nepotes eaſdem rationes, ut cognoſcamus, an illa pars doctrinæ vera ſit, & an eadem cum primigenea, quæ nunc traditur, tenere non poſſumus niſi ex antiquorum Teſtimonio: quia quærere, num doctrina aliqua ſit revelata, & adhuc perſeveret, in cujus confirmationem edita fuerant Miracula, & Prophetiæ, aliaque, eſt inquirere veritas alicujus facti. At nullum opportunius teſtimonium in caſu noſtro dari poteſt illo cœtus antiquorum Chriſtianorum, ſeu Eccleſiæ, cui manifeſtata, probata, & concredita fuit ipſa doctrina; & illud notum nobis eſſe non poteſt, quam ex Teſtimonio Eccleſiæ ſequentium ætatum, & præſentis. Nec dubitare poſſumus, Eccleſiam aliquando immutaſſe doctrinam, quia ſemper ampla fuit, & Chriſtiani unius ætatis non pauci ſuperſtites fuere ſemper altera ætate; ita ut nunquam potuerit fieri mutatio ſine maximo quamplurium clamore; nam prorſus improbabile apparet, Chriſtianos unius ætatis ubique conſpiraſſe in illam mutationem. Standum igitur etiam nunc Teſtimonio Eccleſiæ, quæ ſi, uti olim voluit, velit veritatem profiteri, infallibilis erit, quia teſtatur de doctrina, quam accepit ab antiquis, in quo, ſi velit, errare non poteſt; & ſi nollet excitarentur Turbæ, uti accidit quando hæretici recentiores tentarunt mutationem doctrinæ. At licet hæc infallibilitas maxima ſit, ſemper tamen eſt moralis, & humana, cui ſaltem Pyrronici poſſent non acquieſcere.

Unde

Unde addimus, quod ſicuti in quocunque Regno temporali ſatis non ſunt inferiores Judices, ſed requiritur Supremus Magiſtratus, cujus ſententiæ tandem acquieſcunt ſubditi, ita, & in Regno ſpirituali Chriſtianorum non ſatis videtur quæcumque auctoritas, ſed requiritur ſuprema, quæ alia eſſe non poteſt, quam omnimode infallibilis, quæ tollit omnes cavillationes, effecitque, ut homines abſolutè mentes ſuas ſubjiciant in rebus facti, & maximè, quæ eorum captum ſuperant, vel fugiunt. Itaque Deus, qui ſapientiſſimus eſt, providus, & omnipotens in conſtituenda Republica Chriſtiana conceſſit Eccleſiæ etiam infallibilitatem in doctrina conſervanda, & tradenda: eo vel magis quod illa non videtur deneganda primis fundatoribus, qui certè errare non debebant in promulgada doctrina Myſteriis plena. Ulterius uti Conditores Regnorum temporalium intendere præcipuè debent concordiam, & pacem, ita, & Deum eam curaſſe in Eccleſia ſua, dubitare non poſſumus; eo, vel magis, quod agitur de ejus cultu, & ſupernaturali, qui ſane monſtruoſus foret propter varietatem opinionum, in quas abirent homines, uti experientia conſtat in hæreticis, ſi nulli ſtandum eſset auctoritati, & quidem infallibili, uti ſupradiximus, ſed quiſque pro libitu ſibi fingere poſset revelatam doctrinam. Tandem ferè fruſtranea fuiſset revelatio; nam eam non ſoli docti, uti in ſcientiis humanis, ſed ſinguli tenentur amplecti, ut ſalutem conſequantur. At ſi non exiſteret infallibilis, quam volumus, Eccleſiæ auctoritas, ex qua rudes percipere poſsent revelationem, & non a longa meditatione cui impares ſunt, his certè illa ferè ad nihilum inſerviret.

L I V.

Eadem veritas magis magiſque fulget, ſi ad Sacra Volumina nunc accedamus; ex quibus certè perennitas, & inerrantia Eccleſiæ in rebus fidei, & morum tanta claritate, evidentia tanta deducitur, ut nihil clarius, lu-

cu-

Digitized by Google

culentius nihil accidere nobis poſſit. Iſaiæ ſiquidem cap. 59., ubi adumbratur Chriſtus ſub Sion, & Eccleſia ſub ejus ſemine, legitur: *& venerit Sion Redemptor. Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus: Spiritus meus, qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui amodo, & uſque in ſempiternum*. Item cap. 61. *Fœdus perpetuum feriam eis*. Et Oſeæ cap. 2. *ſponſabo te mihi in fide in ſempiternnm*. At Chriſtus nedum Lucæ 4. cap. 4., & 24. oſtendit laudatis in locis ſermonem eſſe de ſe, & Eccleſia, verum etiam ſatis clare docet perpetuitatem Eccleſiæ; nam Matthæi cap. 16. ait, quod portæ Inferi non prævalebunt adverſus eam, ideſt quod diabolus ſua potentia nunquam ſit adducturus Eccleſiam in errorem, & ad Tim. cap. 3. Paulus affirmat; quod *Eccleſia Dei vivi ſit columna, & firmamentum veritatis*. Item Chriſtus ipſe comparat Eccleſiam areæ, ſagenæ, convivio, agro aliiſque rebus, quibus reprehefentantur in Eccleſia boni, & mali, additque, horum ſeparationem faciendam in fine mundi, interim vero extituram hujus mixtionem, adeoque & ipſam Eccleſiam. Etenim Matth. cap. 13. præſertim, ubi adducitur Parabola de agro, in quo creverat cum tritico zizania, dicitur, quod zizania ſit in faſciculos colligenda ad comburendum tempore meſſis, ſed meſſis facienda ſit in conſumatione ſeculi, ita ut ſicut ſeges remanet in agro uſque ad meſſem, ita Eccleſia ſemper exiſtet uſque ad extremum judicii diem. Sed accedamus nunc ad promiſſa Chriſti, & invicta quidem pro inerrantia Eccleſiæ nobis occurrunt argumenta. Chriſtus enim Matth. 28. ait Apoſtolis: *Ecce vobiſcum ſum uſque ad conſumationem ſæculi*. Et Johan. 14. *Alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum, ſpiritum veritatis*. Nec ejuſmodi promiſſio reſtringenda ad ſolos Apoſtolos, ſed extendenda ad Epiſcopos eorum ſucceſſores,

Digitized by Google

Apoſtoli enim victuri non erant uſque ad diem judicii, bene vero in ſuis ſucceſſoribus; ac proinde eadem aſſiſtentia, quæ promittitur Apoſtolis.

L V.

Quæ igitur humano generi ſapientiſſimus Deus revelavit, ea proculdubio, ſi nunquam literis mandata eſſent, incorrupta ſemper uſque ad finem mundi ſervari potuiſſent medio Eccleſiæ, quæ propterea infallibilis jure ponitur. At eſt aliud medium ſervandi res a coetaneis non ſcriptas, idque ſunt opera ſequentium ſcriptorum. Hinc ad verbum traditum cognoſcendum reverà uti poſſumus monumentis veterum Chriſtianorum. Nam divina providentia factum eſt, ut ex cunctis orbis Chriſtiani nationibus plurimos quacumque ætate ſcriptores habeamus, qui in id unum incubuerunt, ut tradita ſibi a primis doctoribus ſuis vera fidei dogmata non declararent modo, ſed etiam pro ingenio ac ſcientiæ copia tuerentur, aut illuſtrarent. Ii autem venerandi, vetuſtique ſcriptores merito nunc Patres dicuntur. Etenim vera fidei dogmata coetaneis temporis ſui prædicando, & ad poſteros monumentis traſmittendo, utroſque proculdubio ſpiritualiter genuerunt. Quidni ergo in illis præſidium noſtrum collocemus? Plures ex iis haud dubie fuerunt Paſtores Eccleſiæ, & omnes ſimul ſumpti non modo veram Chriſti Eccleſiam conſtituebant, ſed etiam erant Doctores illi, quos dedit Deus; ut docerent fideles: *Dedit*, inquit Paulus ad Epheſios 4., *quoſdam quidem Apoſtolos*, *quoſdam autem Prophetas*, *alios vero Evangeliſtas*, *alios autem Paſtores*, *& Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii*, *in ædificationem Corporis Chriſti*, *ut non ſimus jam parvuli fluctuantes*, *& circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum*, *in aſtutia ad circumventionem erroris*. Unde merito illorum conſenſus in rebus fidei, & morum pro infallibili habetur; eo vel magis quod conveniens

niens videtur; ut Chriſtus tutius redderet medium, quo homines in factis præteritis eruendis ordinarie utuntur.

L V I.

Hactenus itaque ſatis clare oſtenſum eſt, tam univerſam Chriſti Eccleſiam, quam Patres omnes ſimul ſumptos in rebus fidei, & morum eſſe infallibiles. At ſi Eccleſiæ particulares, ſi Patres ipſi ſeorſim ſpectentur, utique fallibiles ſunt, & in rebus fidei, & morum poſſunt quam maxime diſſentire, vel admodum obſcure loqui: Quam ob rem, ſi de re momentoſiſſima inter particulares Eccleſias diſſidia forte contigerint, & Patres ea de re obſcure ſcripſerint, recurrendum eſt ad Concilia Generalia, in quibus Paſtores omnes ad examen revocant quid revera Eccleſia doceat, vel quid Patres ea de re, quæ inquiritur, ſcripſerint. Si enim in quacumque bene ordinata Republica civili quando eſt diſparitas inter Magiſtratus circa leges, & conſuetudines magni momenti, vel earum intelligentiam etiam juxta antiquorum legis peritorum interpretationes, tunc uniuntur omnes Magiſtratus, ut in eorum congregatione clarius appareat unius cujuſque ſenſus, & ſeveriori examini omnibus opportunis mediis res ſubjiciantur, atque ita tandem lis finiatur juxta fundamentalia ſtatuta, & quidem ſuprema auctoritate, cui refragari non licet; quam potiori jure convenit, ut in controverſiis fidei, & mornm omnes Paſtores Eccleſiaſtici in unum conveniant ad rigoroſe examinandas juxta ſacram ſcripturam, & antiquas traditiones apud ſe conſervatas, & in monumentis Patrum repræſentatas, atque ita nedum majori, verum etiam infallibili auctoritate manifeſtetur veritas, quæ proinde expromat internum aſſenſum? Concilia certe ſunt infallibilia. In illis ſiquidem ſunt omnes Eccleſiaſtici Paſtores, & Doctores, qui ſimul ſumpti componunt Eccleſiam, quæ eſt infallibilis; & ſcriptura ipſa teſtatur pluribus in locis, & luculenter, concilia eſſe infallibilia.

LVII.

L V I I.

Evenire plerumque ſolet, ut eo tempore, quo diuturnæ, graviſſimæque inter fideles agitantur de rebus fidei controverſiæ, nulla concilia convocari poſſint. Sed in tanta pugna, quas partes ſequemur? tot inter Doctores, quem nobis ducem, magiſtrumque ſeligemus? Utique ponderatis omnibus, nihil conſultius videtur eſſe, nihil æquius, quam ſi aliquem ſupremum judicem turbulentis illis temporibus audiemus. Hunc autem Chriſtus conſtituit Divum Petrum, cui ſucceſſit Romanus Pontifex, qui propterea quoties ex Cathedra aliquid fidelibus credendum proponit, errare minime poteſt (*a*).

L V I I I.

Romani Pontifices quoties ex Cathedra definierunt, toties Theologorum conſultationem adhibere conſueverunt. Quamobrem opportunum nobis erit, breviter nunc, quid de illorum auctoritate ſentiendum ſit, declarare. Theologi, de quibus agimus, dividuntur, ſapientum judicio, in dogmaticos, & veros ſcholaſticos. Dogmatici ſunt illi, qui de ſolis fidei articulis jam definitis ediſſerunt. Veri autem ſcholaſtici dicuntur illi, qui de iis articulis pertractant, in quos vel Concilii, vel Romani Pontificis definitio cadere poteſt. His adnotatis, contendimus, Fideles Theologorum dogmaticorum auctoritate quodammodo uti poſſe veluti illa Patrum. Etenim ſicuti Patres ſunt Teſtes fidei duodecim Priorum ſæculorum, ita quoque Theologi dogmatici operibus ſuis teſtantnr fidem ſequentium ſæculorum; veri autem ſcholaſtici in æſtimatione ac pretio ſunt etiam habendi, ſi agant de rebus, quæ fundamentum aliquod habeant in ſcriptura, vel traditione, cum illæ aliquando definiri queant ab Eccleſia; & eorum conſenſus in rebus non adhuc definitis non parvi, imo magni videtur momenti. Cæterum omnium Theologorum opera quammaxime utilis eſt Eccleſiæ in examinandis rebus ad Religionem per-

(*a*) Vid. cap. 6. ſeſs. 3. tom. 1. Theol. R. Ab. d. Frid. de Judic.

Digitized by Google

pertinentibus, cum ipſi diù noctuque præ manibus habuerint ſcripturas, Patres, & antiqua Concilia: imo Theologiam variis methodis, iiſque laudandis expoſuerint.

L I X.

Theologi autem, ut muneri ſatisfaciant ſuo, in Eccleſiaſtica, & prophana hiſtoria; in Philoſophia, & humana ratione nimis verſati eſſe debent. In Eccleſiaſtica ſiquidem, ut ab hac exordiamur, non tantum natura, indoles ortus, & incrementa Eccleſiæ deſcribuntur, ſed etiam hæreſum primordia, progreſſus, & fata. Hæ quidem cognitiones quantum pro Chriſtiana Religione, quantum pro Catholica militent, ex eruditiſſimis eorundem Theologorum operibus ſatis jam abunde conſtat. Undenam ipſi contra infideles hauſerunt validiſſimum illud argumentum, quod ſcilicet Chriſtiana Religio per paucos, eoſque viles, & abjectos homines nulla potentia, nullis perſuaſionis, aut eloquentiæ humanæ artibus inſtructos per totum terrarum orbem, inter innumeras difficultates, adverſus infenſiſſimos hoſtes, & ſub crudeliſſimas perſecutiones propagata ſit, niſi ex hiſtoria Eccleſiaſtica? Undenam contra hæreticos argumentum illud, quod innititur continuatæ & non interruptæ Paſtorum Catholicorum ſucceſſioni ab Apoſtolis ad nos uſque deductæ, undenam, inquam, deſumptum eſt, niſi ex eadem hiſtoria? hæc proculdubio, ut præclara Theologorum opera pluribus in locis oſtendunt, deiſtas confundit, & hæreticos convincit omnino. Jam vero ſi Eccleſiaſtica hiſtoria indigent Theologi, quidni ergo fateamur, prophanam quoque ab illis excolendam eſſe? Res Eccleſiæ plerumque cum illis Reipublicæ arctiſſimo vinculo uniuntur, & ita quidem, ut nunquam Theologi plenam Eecleſiaſticæ hiſtoriæ notitiam aſſequi poſſint, niſi admodum in prophana hiſtoria verſati ſint. Quis enim ſibi polliceri poterit perfectam intelligentiam hiſtoriarum Sacræ Scripturæ, ſi antea hiſtorias Ægyptiorum,

Digitized by Google

Aſſyriorum, Babyloniorum, Perſarum, Græcorum, & Romanorum, de quibus ſæpiſſimè in illis fit mentio, non libaverit? neceſſitas prophanæ hiſtoriæ, vel exinde ſatis conſtare poteſt, quod ex initiis gentium, Regnorum, artium aliarumque rerum, quæ ibi ſunt deſcriptæ, illa deducuntur conſectaria, quæ Atheos non mediocriter conturbant. His accedit etiam, quod prophana hiſtoria in aperta luce collocat veritatem hiſtoriæ novi Teſtamenti, quemadmodum præclariſſimi Viri contra deiſtas abundè demonſtrarunt; Et quidem invictè, quia per noſtros adverſarios hiſtoria prophana habet non minimam auctoritatem, ſi critices regulæ ſerventur. At ſi ab adverſariis id conceditur hiſtoricis prophanis, quidni, & Eccleſiaſticis?

L X.

Si Eccleſiaſtica, & prophana hiſtoria confundit Atheos, Deiſtas, alioſque hujus furfuris, quam potiori jure genuina, ac germana Philoſophia iſtos confundere debet? hæc, ut omnes norunt, eſt ſcientia Divinarum, humanarumque rerum, ſcientia nimirum, quæ, ſapientum judicio, directè etiam Theologiam reſpicit. Sed a præclariſſimis Viris cum in Logicam, Metaphyſicam, Phyſicam, Matheſim, & Moralem, ſeu Æthicam exactè dividatur, facile nos, quid utilitatis Theologis afferre valeat, quidve adjumenti, cognoſcemus, ſi ejus partes nunc ſigillatim examinandas adgredimur. Logica docet viam inveniendi verum, & præſcribit illam inſtruendi methodum, quam univerſi Theologi, ut ſuos erudiant, & hoſtes confundant, habere debent. Metaphyſica, ſi exactè perpendatur, ea utique generales rerum cauſas exponit, & quaſdam de ſupremo Numine veritates demonſtrat, quæ in ipſa etiam revelatione divina continentur. Phyſica directè reſpicit Theologiam, agit etiam de hoc Mundo viſibili, ex cujus mirabili ordine, harmonia, & ſtructura ſingularum partium etiam minimarum

rum clarè colligimus Dei exiſtentiam, ſapientiam, omnipotentiam, bonitatem, aliaſque perfectiones Divinas. Imo phyſicæ ope ſuſtinemus contra Deiſtas Divinitatem ſacrarum ſcripturarum, poſitive ſcilicet oſtendendo veritatem miraculorum, quæ vires noſtras excedunt, & negativè ſolvendo nonnulla incredulorum argumenta. Matheſeos regulis facillime quoque nonnullas difficultates ab incredulis adverſus ſacra volumina propoſitas abundè ſolvimus. Uti ſunt illæ de parvo hominum numero tempore fratricidii Caini, & de magnitudine Arcæ non ſufficientis, quas Præadamitæ tanto verborum apparatu olim propoſuere. Sed quibuſdam calculis clare oſtenditur, ex ſolo Adamo ſpatio 130. annorum, quorum penultimo accideret fratricidium, potuiſse innumeros fere homines exiſtere, ac in deſcripta Arcæ magnitudine commodè illa omnia contineri, quæ ſacer author refert. Æthica tandem quædam morum Præcepta tradit, quæ non ſolum ex ſuis principiis clariſſime deducuntur, ſed iis etiam naturalibus demonſtrantur rationibus, quas increduli libenter admittunt. Sed illa morum præcepta, quæ in æthica habentur, inveniuntur etiam in revelatione Divina. Theologi propterea Æthicæ ope poſsunt ſaltem revelata morum præcepta naturalibus rationibus defendere, ac propugnare. Adductis pro Philoſophia rationibus, addere poſsumus auctoritatem nedum veterum, ſed etiam Apoſtolorum, Imo & ipſius Chriſti. Chriſtus enim, & Apoſtoli, etſi prædicarunt omnî efficaciâ veram doctrinam, neceſsarium tamen putarunt illam miraculis probare. *Et ſi mihi non vultis credere, operibus credite*, Johan. 10. *Et Apoſtoli profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis*, Marc. ultimo. Voluerunt ergo, ut ſaltem crederent homines ex miraculis, & quidem haud cœco modo, ac proinde Philoſophicas approbarunt ſcientias, quibus ad examen revocantur miracula. Imo ipſimet illas

Digitized by Google

in uſu habuerunt, nam Chriſtus e. g. docet Matt. cap. 12, & Marc. cap. 2, & 3, in Sabbato fieri poſse aliqua opera etiam ſervilia propter Dei cultum, propriam neceſſitatem, & amorem erga proximum, cum Deus velit potius miſericordiam, quam ſacrificium, & Sabbatum factum ſit propter homines, & non homines propter Sabbatum, atque homines excellentiores ſint brutis, quibus tamen in periculo conſtitutis conſulimus quocumque die: Quæ quidem veritates pertinent ad varias philoſophicas ſcientias. Item Apoſtoli uti præſertim Paulus, & Barnabas actor. cap. 14. Turbæ propter factum miraculum credenti ipſos Deos eſse, ac propterea iis paranti ſacrificia, reſtiterunt dicentes, ſe homines mortales eſſe, & cultum deberi non iis, ſed Deo, qui fecit Cœlum, & Terram, atque ſui teſtimonium dat benefaciens hominibus de Cœlo pluviis, cibis, & cordium lætitia. Hic Chriſti, & Apoſtolorum mos laudandi philoſophiam, hujus nedum utilitatem, verum etiam auctoritatem innuit præſertim contra noſtræ Religionis inimicos, qui illi maxime fidunt.

L X I.

Jam vero ſi Philoſophia ſuam habet auctoritatem, & Theologo neceſsaria, quam potiori jure naturalis ratio? illa ſiquidem hanc ſupponit. Et ſanè naturalis rationis nomine, vel veńit facultas percipiendi, judicandi, & ratiocinandi, vel hujus facultatis actus, qui non pauci ſunt toti generi humano communes, quales ſunt cognitiones, ſeu veritates ab omnibus admiſsæ, quia verſantur circa res naturæ conſtantes, quæ omnibus clare apparent, vel tandem cognitiones aliæ particulares, quæ non raro connexionem habent cum illis communibus, & nonniſi ſtudio ac meditatione acquiruntur. Hæ autem ultimæ, quæ propriè componunt Philoſophiam, fundantur in penultimis, uti penultimæ in facultate illa, in qua per conſequens etiam ultimæ, etſi mediatè tantum: Philoſophia

ita-

itaque habet pro fundamento naturalem rationem, quæ neceſsario importare debet, vel illam facultatem, vel illas primas cognitiones, cum ratio naturalis ſit ſingulis hominibus communis. Unde ſi Philoſophia eſt Theologo neceſsaria, ejuſmodi erit multomagis naturalis ratio. Deinde qui fieri poteſt, ut quis accedat ad Scripturam, vel Traditionem ſine facultate illa, ſaltem percipiendi, & ut Theologus, qui contentus eſse non debet ſimplici fide, poſſit percipere, & plene judicare de vero ſenſu Scripturæ, & Traditionis, atque illum defendere ab adverſariis, quibus fides nuda non placet; imo, & firmare revelationem contra Deiſtas, aliquamque Religionem contra Atheos, niſi utatur quoque principiis illis ſecundum quæ loqui ſolent communiter homines, præſertim noſtri adverſarii, loquuntur Patres, Authores ſacri, & ipſe Chriſtus. Rem oſtendunt exempla arboris boni, & mali neceſsario ferentis fructus bonos, & malos, Viri ſemivivi relicti a latronibus, & curati a Samaritano tranſeunte, & non a Levita, aliarumque rerum petitarum ex notionibus communibus, ſive phyſicis, ſive æthicis a Chriſto adductis, vel ab aliis memoratis in ſuis opinionibus ſtabiliendis.

L X I I.

Quamvis naturali rationi, & Piloſophiæ tantum tribuamus, eas tamen ſubjicimus fidei ſeu revelationi, ſecus ac faciunt Sociniani, aliique, qui tanquam præcipui Catholicæ Religionis hoſtes nunc neceſsario ſunt confutandi. Volumus ſane, naturali ratione, quantum permittit noſtræ mentis imbecillitas & Religionis natura, demonſtrari exiſtentiam Religionis naturalis, Judaicæ, Chriſtianæ, & Catholicæ, quemadmodum ſuis in locis nos reapſe præſtitimus; ex quibus etiam facile colligere eſt, naturali ratione oſtendi poſse, ſolam naturalem Religionem ſufficientem non eſse ad ſalutem, nec etiam cum Religione Chriſtiana ſtricte ſumpta, ſed ulterius requiri

Re-

Digitized by Google

Religionem Catholicam, ſeu quod idem eſt, neceſsarium eſse nedum cultum aliquem naturalem, ideſt revelatum, eumque complendum, & explicandum per Traditionem, & Eccleſiam, minimè vero per naturalem rationem. Contra autem adverſarii contendunt, nullo pacto oſtendi vel ſuaderi naturalem Religionem, vel Chriſtianam, vel Catholicam naturali ratione, ita Athei, Deiſtæ, & Hæretici. Sed ſunt alii, qui licet id concedant, negant tamen neceſſitatem naturalis Religionis, vel Chriſtianæ, vel Catholicæ, ideſt, ad ſummum fatentur neceſsarium eſse cultum aliquem revelatum, minime vero catholicum, ſeu illum exponendum naturali ratione, non autem recurrendum ad Eccleſiam. Unde admittunt tolerantiam pro variè ſentientibus circa Religionem naturalem, vel ſaltem Chriſtianam, hanc igitur nos improbabimus tolerantiam, & ſimul præſcribemus ipſius limites naturali ratione, ſi oſtenderimus abſolutè neceſsariam eſse ad ſalutem nedum naturalem Religionem, verum etiam Chriſtianam, & Catholicam; ſeu citra cultum naturalem ſtandum neceſsario naturali rationi genuinæ, hancque tamen ſubjiciendam revelationi, & in hujus explicatione auctoritati Eccleſiæ, uti ſupra diximus. Et ſane ſi naturali ratione colligimus exiſtentiam alicujus cultus, quem Deo debemus, Deus ipſe requirit ab hominibus, nec poteſt umquam non requirere, cum norma actionum humanarum, ſeu diſtinctio virtutis, & vitii fundetur in ipſa rerum natura, uti illa veritatum, & falſitatum ſpeculativarum, ſequitur determinatam Religionem naturalem eſse ſingulis hominibus abſolutè neceſsariam, ſi ipſis cordi ſit vera felicitas, minimè vero illam licere, utcumque ad libitum ſibi fingere. Item, ſi eadem naturalis Religio, cum ferè extincta eſset in hominum mente, & multo magis in eorum praxi, ita ut motus fuerit Deus eam iterum manifeſtare hominibus, quod ſanè præſtitit per Jeſum Nazarenum, hunc ſanè

ve-

Digitized by Google

venerari debemus, ejuſque doctrinam neceſsario amplecti, ita ut ſine illa non minus, ac ſine naturali Religione animæ felicitatem aſsequi non valeamus. Abſolutè itaque neceſsarium eſt admittere Sacram Scripturam, quæ complectitur Jeſu Nazareni doctrinam, ac proinde profiteri Chriſtianam Religionem, & quidem determinato modo expoſitam, & non quocumque modo confictam. Nimirum Jeſum Nazarenum fuiſse ſpeciali modo Dei legatum, illumque jam olim promiſsum, & delineatum in veteri Teſtamento, ſecus ac ſentiunt Mahumedani, & Hæbrei; necnon ejus claram doctrinam variari non poſse, ut hæretici omnes etiam concedunt, & de qua tantum nunc loquimur, cum agatur de Religione Chriſtiana ſtrictè ſumpta. Apponitur enim illi nota neceſſitatis in Scripturis: *Hæc eſt vita æterna, ut credamus te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum: Hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis quia Jeſus eſt Chriſtus Filius Dei; & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus*, Joan. capp. 17, & 20. *Euntes in Mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit ſalvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur*, Matth. cap. 16. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt introire in Regnum Dei*, Joan. cap. 3. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*, Joan. cap. 6. Et ita de quamplurimis aliis Articulis. Ut vero teneamus tandem veram Chriſti doctrinam nonniſi ad Eccleſiam recurrere poſsumus, quæ propterea debet eſse infallibilis: & cum ipſa tradat præter ſcriptos Articulos etiam alios traditos, & quidem determinato ſenſu, & tanquam neceſsario credendos, neceſsaria prorſus erit ad ſalutem conſequendam Catholica Religio, quæ illos admittit in fide Eccleſiæ. Non itaque tolerare poſsumus in noſtra Communione, non dicam ſolos Atheos, & Deiſtas, ſed nec etiam hæreticos, qui inficiantur neceſsarios articulos.

LXIII.

Digitized by Google

LXIII.

Recentiores tamen hæretici, ut imperitis fucum facerent, ſæpiſſimè ita prædicare conſueverunt. Quamvis optandum eſſet, ut nullus plane inter Chriſtianos diſſenſus exiſteret, omnibuſque ex æquo innoteſceret veritas, tamen cum id per varietatem ingeniorum, diſcrimina inſtitutionis, & humanæ mentis imbecillitatem, ſperare non liceat, proximum eſt, ut ſalva manente Religionis eſſentia, cætera patienter ferantur diſſentienteſque in rebus non fundamentalibus, ſeſe pro fratribus nihilominus agnoſcant, communionem Eccleſiaſticam inter ſe ſemper colant, & Chriſtiana tolerantia erga ſe invicem utantur. Hinc commenti ſunt quandam diviſionem articulorum Fidei, in articulos nempe *fundamentales*, & *non-fundamentales*. Illos dicunt eſſe, qui negari nullo modo poſſunt abſque ſalutis æternæ diſpendio; hos vero contra impugnari ſine ullo ſalutis periculo, dummodo ſincerè, & ex interna perſuaſione fiat. In hiſce autem determinandis, definiendiſque acerrimè inter ſe digladiantur, cum non eandem omnes normam, ſeu regulam teneant. Sunt qui duce Joanne Lockio in peculiari opere de *Chriſtiana Religione Rationabili* docent, articulos fundamentales eos dicendos, qui requiruntur ut quis adſcribatur Chriſtianæ Religioni, eoſque deducendos ex ſolis Evangeliis, & Apoſtolorum Actis, cum in his referantur Chriſti, & Apoſtolorum prædicationes ad Infideles, in quibus propterea reperire neceſſe eſt omnia quæ neceſſaria videntur Chriſtiano nomini: & cum in laudatis prædicationibus ipſi non videant niſi articulum de Chriſti miſſione, ſeu Jeſum Nazarenum eſſe promiſſum Meſſiam: hinc concludunt, eum ſolum eſſe fundamentalem, reliquos vero credendos quoque eſſe, cum Deus fallere non poſſit; ſed non neceſſario, ita ut ignorari queant, vel etiam negari, ſi ſecus ſe habere videntur; ideſt, credendi ſunt eo modo, quo percipiuntur; quo fit

ut

Digitized by Google

ut duo homines e. g. ſalutem conſequi poſſint, licet hos articulos contrario ſenſu interpretentur. Alii hæretici Symbolum Apoſtolicum ſibi pro regulâ proponunt, atque ita omnes, & ſolos articulos in eo contentos pro fundamentalibus agnoſcunt. Alii juxta Joannem Buddæum in ſua Theologia ponunt nedum ex Apoſt. ad Cor. 3. Jeſum Redemptorem pro unico religionis Chriſtianæ fundamento, verum etiam, & fidei, ita ut ii articuli ſint fundamentales, qui cum eo neceſſarium nexum habent. Hos poſtea volunt duplicis eſſe generis *primarios* nempe, & *ſecundarios*; & illos quidem ignorari nullo modo poſſe, cum tam arcte uniantur cum Jeſu Redemptore, ut hic ſtare non poſſit cum illorum ignorantia; alios vero ignorari quidem, negari tamen minime poſſe, quia ſalvari poteſt Jeſus Redemptor, etiamſi illi non admittantur, non ita tamen ſi aliter ſe habeant. Reliquos vero articulos rejiciunt tanquam non fundamentales. Alii cum Philippo Limborchio in *Theologia Chriſtiana* contendunt; eos dumtaxat eſſe articulos fundamentales, qui primo nedum clarè, verum etiam cum nota neceſſitatis in Scriptura reperiuntur; nimirum quod quicumque hoc credit ſalvabitur, quicumque vero non credit condemnabitur; ita apud Joan. 3. *Qui credit in filium habet vitam æternam*; *qui autem incredulus eſt filio*, *non videbit vitam*, *ſed ira Dei manet ſuper eum*. Hiſque articulis adduntur, qui inde neceſſario ab omnibus eliciuntur, quibuſque negatis illos pariter negare neceſſe ſit; atque horum omnium ſummam in ſymbolo Apoſtolico contineri volunt. Secundo fundamentales ſunt articuli, qui ita influunt in ſanctimoniam, & ſpem vitæ æternæ, ut hæc ſine illis ſubſiſtere nequeant; ita Chriſti Reſurectio, nam *ſi Chriſtus non reſurexerit*, *vana*, inquit Apoſtolus ad Cor. 15., *eſt fides noſtra*, *adhuc in peccatis ſumus*, *& qui dormierunt in Chriſto*, *periere*. Alii tandem autumant, eos omnes articulos eſſe fundamentales, qui clarè extant in Scriptura,

alios

alios autem abſcurè expoſitos, cujuſcumque ipſi ſint generis, pro non fundamentalibus reputandos. Hæc quidem ſunt ſyſtemata, quæ circa neceſſarios fidei articulos recentiores hæretici ediderunt: ſed falſa & impia ea eſſe, clariſſimè a nobis demonſtrabitur.

L X I V.

Rejectis variis hæreticorum ſyſtematibus circa neceſſarios fidei articulos, illud nunc reliquum eſt, ut ea nunc adnotemus, quibus Tyrones noſtri adverſariorum tela contra veram fidem vibrata repellere facile poterunt. Articuli fidei nunquam eo ſenſu, quo accipiuntur ab hæreticis, dici poſſunt fundamentales, & non fundamentales, ſed vel relatè ad ſe invicem, quatenus ſcilicet nonnulli deducuntur ex aliis tanquam ex radice, & fundamento, ita e. g. articulus de duplici Chriſti natura appellari poteſt fundamentalis, alius autem de duplici ejus voluutate, & operatione non fundamentalis; quia hic ex illo elicitur per legitimam conſequentiam. Vel relatè ad fidem, nam alii credendi ſunt explicitè, uti Trinitas & Incarnatio, qui proinde dici poterunt fundamentales; alii implicite tantum e. g. proprietates characteriſticæ in Trinitate, quibus Perſonæ inter ſe diſtinguntur, & communicatio idiomatum in Chriſto, qui contra appellari poſſunt non fundamentales. Itaque fundamentales articuli, ſeu qui explicitè credendi ſunt, illi erunt, qui nec negari, nec ignorari poſſunt abſque ſalutis æternæ diſpendio: non fundamentales vero, ſeu quos implicitè credere ſatis eſt, erunt illi, qui licet ſine periculo ſalutis ignorari queant, negari vero nullo pacto poterunt. Primi generis articuli comprehenduntur in ſymbolo Apoſtolico, quod proinde ſcitu eſt neceſſarium, ſaltem quoad ſubſtantiam, cuicumque Chriſtiano. Alii vero ſecundi generis quamplurimi ſunt, & noti Theologiæ Magiſtris, nec ignorari debent a Paſtoribus, qui alios docere, & Religionem omni ex parte adver-

ſus

Digitized by Google

ſus hoſtes defendere tenentur. Non itaque ſoli hæreticorum articuli, ſed ii etiam catholicorum erunt ad ſalutem æternam creditu neceſſarii, ad quos quidem cognoſcendos tenere debemus pro certa regula Eccleſiæ definitiones. Neque hanc Regulam ſuis cavillationibus ullo modo infirmat Turretinus, qui contendit, etiam per catholicos certum non eſſe, an Eccleſia, ſeu Paſtores præſertim in Conciliis congregati, & Romanus Pontifex in caſibus particularibus ſint infallibiles, cum non conveniant circa requiſita Concilii Generalis, nec circa expoſitionem Pontificis ex cathedra definientis. Verum animadvertat, hoc argumentum etiam locum habere in ſocietatibus civilibus, in quibus proinde numquam definiri poſſet, quando comitia eſſent Generalia, & ſummus Imperans aliquod promulgaret edictum pro toto Regno. Ita deſipiunt, qui ſemel amiſerunt rectam judicandi regulam. Ceterum ad minus evaneſcunt omnia dubia, ſi dicamus, nos recurrere ad univerſalem Eccleſiam, quæ infallibilis quoque eſt, etiamſi ſit diſperſa. Firmi itaque remanent omnes catholicorum articuli (*a*) hi autem, omiſſis illis ſupra relatis, qui veluti conſtituunt eſſentiam ipſam Religionis, cum ab illis dependeat ejus exiſtentia, dividi poſſunt in tres ſpecies pro triplici Religionis objecto, ad quod pertinent, ad Deum nempe, Chriſtum, & Eccleſiam.

L X V.

Si ad Theoremata, quæ hactenus adducta ſunt, quis adtenderit, & a Deo hujus ſæculi, ut inquit Scriptura, non fuerit obcæcatus, is proculdubio ſtatim intelliget, noſtram Religionem veram eſſe. Etenim quo jure quis de veritate illius nunc dubitare poſſet? etſi pro ea loquan-

(*a*) Solidiſſimè contra Turretinum Pater Abbas de Judice argumentatur ultimo cap. primi tom. ſuæ Inſtitutionis, ſeu demonſtrationis veræ Religionis. De Articulis vero fundamentalibus, & de præcipuis articulis noſtræ fidei etiam contra recentiores hæreticos tom. 2.

Digitized by Google

quantur in hoc libello, & argumententur ii auctores, quorum eruditiſſima Opera, ut par erat, ſecuti ſumus; ſanguis tamen Martyrum etiam clamat, apoſtolicæ reſonant voces, prodigia probant, ratio confirmat, Mundus teſtatur, elementa loquntur, & demones confitentur. Victoria igitur, quæ vincit Mundum, eſt fides noſtra, & qui ab hac recedunt, ii profectò a via æternæ ſalutis abſunt quam longiſſime.

F I N I S.

Digitized by Google